QUATENUS APUD GRÆCOS

EXPERIENTIAM

IN INSTITUENDA MEDICINÆ METHODO COMMENDAVERINT

EMPIRICI

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE LUGDUNENSI
PROPONEBAT AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

L. FIGARD

IN VIENNENSI COLLEGIO PROFESSOR

MATISCONE
EX TYPIS PROTAT FRATRUM
M D CCCC III

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41553627_0063

QUATENUS APUD GRÆCOS

EXPERIENTIAM

IN INSTITUENDA MEDICINÆ METHODO COMMENDAVERINT

EMPIRICI

MATISCONE, EX TYPIS PROTAT FRATRUM

QUATENUS APUD GRÆCOS
EXPERIENTIAM
IN INSTITUENDA MEDICINÆ METHODO COMMENDAVERINT
EMPIRICI

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE LUGDUNENSI
PROPONEBAT AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

L. FIGARD

IN VIENNENSI COLLEGIO PROFESSOR

MATISCONE
EX TYPIS PROTAT FRATRUM
M D CCCC III

DOCTISSIMO VIRO ET BENEVOLENTISSIMO

C. C. CHARAUX

IN FACULTATE LITTERARUM GRATIANOPOLITANA PHILOSOPHIÆ OLIM PROFESSORI,

HOC OPUSCULUM GRATISSIMUS DISCIPULUS DEDICAVIT.

L. F.

INDEX LIBRORUM

HIPPOCRATE. — *Œuvres complètes*, éd. et trad. Littré. Paris, Baillière, 1839.

ARISTOTELES. — *Opera omnia*. Paris, Didot, 1852.

GALENUS. — *Opera omnia*, ed. Kühn. Leipzig, 1821-33.

— *De sectis*, ed. Helmreich. Leipzig, 1893.

— *De subfiguratione empirica*, ed. Max Bonnet, Bonnæ, 1872.

GALIEN. — *Œuvres médico-philosophiques*, traduites par Daremberg. Paris, Baillière, 1854.

C. CELSUS. — *De re medica*, ed. Nisard. Paris, Didot, 1847.

CŒLIUS AURELIANUS. — *De morbis acutis et chronicis libri VII*, ed. Amman. Amstelodani, 1709.

SEXTUS EMPIRICUS. — *Pyrrhonianum institutionum libri III*, ed. Alb. Fabricius. Leipzig, Kühn, 1840.

— *Contra Mathematicos libri XI*, ead. ed., 1841.

ARETÆUS. — *De causis et signis acutorum et diuturnorum morborum*, ed. Kühn. Leipzig, 1828.

PLINIUS. — *Naturæ historiarum XXXVII libri*, ed. et trad. Littré. Paris, Didot, 1848.

DAREMBERG. — Introduction à la *Collection des médecins grecs*, en tête de l'édit. d'Oribase. Paris 1851-73.

BACON. — *Novum organum*. — *De augmentis et dignitate scientiarum*, ed. Blackbourne. Londres, 1730.

PR. ALPIN. — *De medicina methodica libri XIII.* Lugduni Batavorum, 1719.

D. LE CLERC. — *Histoire de la médecine.* Amsterdam, 1723.

FREIND. — *Historia medicinæ.* Parisiis, 1735.

KAISER. — *De medicinæ empiricæ veteris atque hodiernæ diversitate.* Helmstadt, 1740.

RICHTER. — *Programma de veterum empiricorum ingenuitate.* Götting, 1741.

ELOY. — *Dictionnaire historique de la médecine.* Mons, 1774.

HALLER. — *Bibliotheca anatomica.* Tiguri, 1774.

OSTERHAUSEN. — *Dissertatio exhibens sectæ pneumaticorum medicorum historiam.* Altdorf, 1791.

SCHULZE. — *De veteris empiricæ scholæ dignitate.* Halæ, 1800.

SPRENGEL. — *Histoire de la médecine, depuis son origine jusqu'au XIXe siècle*, trad. Jourdan. Paris, 1815.

HARLESS. — *Oratio de Archigene medico.* Erlangen, 1815.

DEZEIMERIS. — *Dictionnaire historique de la médecine.* Paris, 1828-36.

HOUDART. — *Études historiques et critiques sur Hippocrate et sur l'état de la médecine avant lui.* Paris, 1836.

KÜHNHOLTZ. — *Cours d'histoire de la médecine et de bibliographie médicale.* Montpellier, 1837.

RENOUVIER. — *Manuel de philosophie ancienne.* Paris, Ladrange, 1844.

— *Le progrès dans les sciences* (*Critique philosophique*, 18 mars 1875).

RENOUARD. — *Histoire de la médecine, depuis son origine jusqu'au XIXe siècle.* Paris, Baillière, 1846.

GUARDIA. — *De ortu medicinæ apud Græcos progressuque per philosophiam.* Paris, Durand, 1855.

— *La médecine à travers les siècles. Histoire et philosophie.* Paris, Baillière, 1865.

— *Histoire de la médecine.* Paris, O. Doin, 1884.

VILLENEUVE. — *Essai sur l'histoire de la médecine dans l'antiquité.* Paris, Bonaventure, 1865.

Daremberg. — *État de la médecine entre Homère et Hippocrate* (*Revue archéologique*, novembre 1868 à avril 1869).

— *Histoire des sciences médicales*. Paris, Baillière, 1860.

Raynaud. — *De Asclepiade Bithyno* (th. lat.). Paris, 1863.

Von Littrow. — *Sur l'état arriéré des sciences chez les anciens* (*Revue scientifique*, 30 juillet 1870).

Hæser. — *Lehrbuch der Geschischte der Medizine*, 3e éd. Jena, 1875.

Lange. — *Histoire du matérialisme*, trad. Pommerol. Paris, Reinwald, 1877.

Bordeu. — *Recherches sur l'histoire de la médecine*. Paris, Ghio, 1882.

Bouillet. — *Précis d'histoire de la médecine*. Paris, Baillière, 1883.

A. Bertrand. — *Parallèle historique de la médecine et de la philosophie* (*Rev. scientifique*, 1884, 1er sem., p. 137).

Thurot. — *Recherches historiques sur le principe d'Archimède* (*Revue archéologique*, vol. XVIII et XIX et *Revue critique*, 1er février 1873).

Brochard. — *Les sceptiques grecs*. Paris, Imp. nat., 1887.

— *La méthode expérimentale chez les anciens* (*Revue philosophique*, janvier 1887).

Tannery. — *Pour l'histoire de la science hellène*. Paris, Alcan, 1887.

Egger. — *Science ancienne et science moderne* (*Revue internat. de l'enseignement*, août 1890).

Albert. — *Les médecins grecs à Rome*. Paris, Hachette, 1894.

PARS PRIOR

CAPUT PRIMUM

Quam incomposita et sine methodo antiquissimis temporibus medicina fuerit.

Tot et tantas varietates mutationesque quas in medicina reperire est apud Græcos Romanosque si quis in summo spectaverit, maximam dissensionem in ea fuisse censebit, et pauca admodum inter medicos convenisse. Ardua itaque res est doctrinas adeo repugnantes inter se componere, atque historia medicæ artis omnia soluta turbataque præberet, nisi specie magis quam re ipsa multæ opiniones dissentirent. Fieri enim potest ut dissimiles institutiones multa contraria, aliquid tamen commune habeant. Quæ communia si, singulis neglectis, in universum contuleris, apparebit omnes qui medicinam excoluerunt in duas diversas partes inclinavisse: alios eam in usu experimentisque præsertim posuisse, alios autem rationi majorem fiduciam habuisse. Itaque alii ἐμπειρικοί a Græcis nominati sunt, quia

a sola experientia remediorum inventionem trahebant, alii λογικοί, quia eis ratiocinatio in curandis morbis utilior esse videbatur. Quibus equidem alia quædam nomina a scriptoribus indita esse Galenus retulit : Empiricorum enim sectam Græci τηρητικήν et μνημονευτικήν nuncupabant, id est quæ observatione et memoria utitur. Logicorum autem disciplinam δογματικήν et ἀναλογιστικήν vocitabant, id est quæ rationem et analogiam usurpare solet[1].

Utramque sectam plurimum in arte valuisse ex ipsa historia manifestum est, ac illustrium virorum nomina utramque præ se ferre posse. Cum ipsis medicinæ originibus utriusque origo miscetur, et, tot post exacta sæcula, quanquam antiqua vocabula abrogata sunt, antiquum discidium usque ad nostram ætatem permansisse videtur. Neque in animo mihi neque virium est tantam litem expedire ; res medicæ medicum poscunt. Cæterum, nostri medici proniores sunt et aptiores ad augendam et alte inspiciendam artem quam ad veteres controversias agitandas. Peritiores in medendo quam doctiores in disputando esse volunt, et quidem jure. At philosophus, scientiam scrutando non solum inquirit quæ illa sit, sed etiam quo modo facta sit, quibus principiis innixa, quibus incrementis paulatim aucta,

1. Cf. Galen., *De sectis*, c. 1.

tantum denique processerit. Medicina philosophiaque semper conjunctissimæ fuere, adeo ut altera alterius auxilio indigeat. Accidit enim philosophis ut, nisi a medicis in terra retineantur, ingenii nimia celeritate elati, inanes et commenticias cogitationes animo fingant, a rebus et veritate remotissimas. Contra medicis, quotiescumque a philosophia prudenti viam rationemque mutuari nolunt, nihil est in arte nisi pravissima consuetudo, spes incerta, fortuitus casus, progressus sine regula et sine dignitate.

Id ipsum persæpe Empiricis exprobratum est. Nam altera secta alteram fortunam habuit. Dogmaticorum doctrina, in honoratissimum Hippocratis patrocinium demissa, ad Aristotelis philosophiam a Galeno artificiose accommodata, jam ab antiquis temporibus multum auctoritate præstitit ; per mediam quæ vocatur ætatem fere una a doctissimis viris cognita atque elaborata, magna cum veneratione recentiora usque ad tempora pervenit. Empiricorum autem secta, florens olim apud Alexandrinos medicos et prospera, quam eruditi scriptores expresserant et Galenus ipse nonnunquam probare visus erat, in diuturnam oblivionem postea adducta est. Libri ab Empiricis confecti jamdudum interciderunt, et inscriptiones, aut relliquias minimas, aut nomina passim sparsa vix colligere possumus. Fama etiam eorum, paulatim labefactata, omnino tandem læsa et

perdita est. Apud avos nostros, contumeliose offendebat si quis aliquem empiricum esse dicebat, et, hac etiam ætate, nomen illud nonnihil despectus habet; adeo doctrinæ, ut homines, progrediente tempore, sub varios incertosque casus subjectæ esse solent.

Quæ quum ita sint, hoc mihi propositum est ut, præcipuarum sectarum originibus et principiis breviter primum explicatis, quæram num merito veteres Empirici in tantam contemptionem venerint, et quam accuratissime indagem quæ methodus eorum fuerit, quid ei defuerit, denique quomodo posterorum inventa prænuntiaverit. At mihi, antequam hujuscemodi rei initium expedio, venia expetenda est si multa præteriero, multa male intellexero, præsertimque incondito genere dicendi rem susceptam tractavero. Id saltem mihi excusationi sit facile peccaturum esse qui e græco in latinum sermonem multa propria vocabula, optimorum scriptorum usu parum comprobata, transferre coactus erit.

Galenus, in libro in quo de Sectis disseruit, et unde multa nobis sumenda sunt pro nostra disputatione, affirmat remedia ab Empiricis et a Dogmaticis adhibita eadem esse, viam autem ea inveniendi tantum differre[1]. Nonnulla quidem remedia, natura

1. Gal., *De sectis*, c. XIV.

ipsa indicata et frequenti usu comperta ab omnibus hominibus usurpata fuisse verisimile est. Errat vero qui verbis Galeni ad litteram credit, putatque veteres medicos, in curando consentientes, tantummodo de ratione, doctrina principiisque inter sese repugnavisse. Ne nostra quidem ætate omnes in omni re consentiunt; Galenus ipse animadvertit nihil inter medicos convenire, et tantam esse controversiam, ut pleraque in contentionem dubitationemque veniant [1]. Quamvis ergo communis popularisque medicina a priscis temporibus exstaret, medici dissentiebant cum de rebus ipsis, tum de via methodoque qua ad finem propositum se perventuros esse sperabant.

De hoc autem ipso medicinæ fine nunquam aut raro apud Græcos Romanosve disputatum est. Nam plerique intellexerunt eam non esse rerum penitus abditarum scientiam, sed saluberrimam artem, ad sanitatem conservandam aut restituendam institutam. Una confusaque in principio, omnia complectebatur. At, circiter Herophili tempora, in tres partes diducta est, auctore Celso: « ut una esset quæ « victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu « mederetur [2]. » Consilium tamen unum et idem toti medicinæ semper fuit, ut sanitatem tueretur, morbosque profligaret. Omnes enim illius partes

1. Gal., *De optima secta*, c. XIV.
2. Cels., l. 1, Præf., p. 2, ed. Nisard.

« ita innexæ sunt, ut ex toto separari non possint, « sed ab eo nomen trahant a quo plurimum petunt[1] ». Quem vero finem assequi difficillimum est, ac pauci sane medici ausi sunt, ut Asclepiades, jactare se « tuto, celeriter et jucunde » medeturos[2]. Mederi tuto, si potest, hoc tantum in votis medico est. Quod quidem efficere nequit nisi ordine certo pedetentim progrediatur, ut, a firmis principiis profectus, prudenter a cognitis ad incognita transeat, denique ut naturam ipsam, ei parendo, adjuvare, flectere aut coercere possit. Methodus igitur ante omnia ei eligenda est, et via duplex ante eum patet, seu ab effectibus, seu a causis initium artis ineundæ facere mavult. In utraque via, eum certas rationes in agendo sequi, institutum tenere, nec fortuito incedere imprimis necessarium est.

Antiquissimi homines ad illam necessitatem ex ordine progrediendi non attenderant. Vulnerum morborumque curatio eis tam mirabilis visa est, ut diis ipsis medicæ artis originem attribuerint, ac primos mortales qui hanc artem excoluere inter deos posuerint[3]. Morbi a diis immitti et curari olim credebantur, eaque superstitio usque ad recentiorem ætatem per-

1. Cels., l. 5, c. I.
2. Cels., l. 3, c. IV.
3. Cf. Hippocr., *De prisc. medic.*, p. 600, ed. Littré. — Plin., l. 29, c. I. — Cels., Præf., etc.

duravit erga pestilentes morbos, quibus occulti aliquid inesse videbatur. Decimo etiam sexto sæculo, J. Fernelius, vir ante omnes eruditus, docebat « morbos et remedia quædam trans naturam esse, occultas quasdam esse formæ proprietates, et vires « cœlitus venire[1] ». Multos apud medicos qui eum ætate consecuti sunt, somnia hujuscemodi reperire est. At, exceptis illis raris insuetisque morbis, mox intellexerunt homines humanam artem sibi sufficere, et bene de se ipsa sperare posse. Itaque medicina, rudis vulgarisque in initio, majora in dies incrementa cœpit. Brevi etiam tantum processerat ut Hippocrates eam appellare posset « inventionem « magnam, plenam artis et observationis » (εὕρημα καὶ μέγα καὶ πολλῆς τέχνης τε καὶ σκέψιος).[2]

Illis autem remotis temporibus, quamvis nomina quibus Empiricorum et Dogmaticorum sectæ postea designatæ sunt nondum inventa esse videantur, utraque via jam a medicis tentata erat, scriptoresque jam disputabant utra ad inveniendam augendamque medicinam tutior esset.

Medicina quin, ut ceteræ artes, ex experientia et necessitate primam originem traxerit, nunquam in dubio fuit. Sæpe enim ipsa natura ægrotantibus auxilium præbet; animalia sibi simplicia remedia

1. J. Fernelii, *De abdit. rer. caus.*, l. 2, c. XIII, XVI, XVII.
2. Hippocr., *De prisc. medic.*, p. 580.

quærunt; hominesque de industria hæc exempla imitati sunt [1]. Itaque accidit ut ars medendi, experimentis jamprimum constituta et continuo aucta, a viris exculta fuerit quos propria indoles aut hereditaria consuetudo eo inclinaverat. Constat enim Æsculapii sacerdotes in templis homines morbo quodam laborantes accepisse, eisque singulatim adhibuisse remedia quæ usu monstrata erant in simili morbo utilia fuisse. Ac, ne perdita esset experimentorum memoria, mos invaluit ægrorum nomina et morborum genera, remedia denique in tabulis inscribere fixis ad ædium parietes [2]. Asclepiadæ diligentius quidem, sed non aliter agebant atque veteres Babylonii qui, auctore Herodoto [3], ægrotantes in forum publicum afferebant ut a prætereuntibus admonerentur si quis aliquo remedio in eodem morbo levatus esset. Nondum sacerdotes illi vocitabantur Empirici, at nihilominus reipsa empirici erant rudes et sine methodo. Nullum enim eis instrumentum artis erat, nisi medicamentorum compilationes quas sibi tradere solebant, ita ut plerumque pater successorem haberet filium [4].

Liber unus, qui inscribebatur « Cnidiæ senten-

1. Cf. Galen., *De sectis*, c. II.
2. Id., *De antidot.*, l. 2, c. III. — Plin., l. 20, c. XXIV.
3. Herodot., *Hist.*, l. 2, c. 197.
4. Galen., *Admin. anat.*, l. 2, c. XIV.

« tiæ » (αἱ Κνίδιαι γνῶμαι) ad Asclepiadas relatus, tempore Galeni adhuc exstabat, et ex Hippocratis « Prænotionibus Cois » et primo libro « Prorrhetico-« rum » qualia hujusmodi excerpta essent conjectare licet [1].

Disertus nostræ ætatis medicus a quo eruditissima dissertatio edita est « de ortu medicinæ apud Græ-« cos progressuque per philosophiam [2] » affirmat medicinam quæ vulgo fiebat in templis nullo modo artem adjuvisse, et nihil ad ejus incrementum contulisse. « Tota, inquit, erat in religionibus posita « insulsisque cærimoniis, et superstitione contami-« nata. Nam Asclepiadæ, quos penes ab Æsculapio ad « Hippocratis usque tempora medicina fuit, non « erant medici, « sed superstitiosi vates impuden-« tesque harioli » (Ennius [3]).

Quod judicium, quanquam minus benignum, verum tamen esse videtur [4]. Quid enim progressus scientiæ poterat afferri Asclepiadarum tabulis, in quibus, sine ordine et sine ratione, conspicua manifestaque morborum signa notabantur, nulla diligentiore indagatione instituta. Singula istius generis

1. Cf. Littré, Introduct. à la traduct. d'Hippocrate, p. 11 sqq.

2. Guardia, *Th. lat.*

3. Id., *ibid.*, p. 51.

4. Cf. Daremberg, *État de la médecine entre Homère et Hippocrate* (Rev. archéol., avril 1869, p. 259 sqq.). — Cf. Gauthier, *Recherches histor. sur l'exercice de la méd. dans les temples chez les peuples de l'antiquité.*

experimenta, quotcumque sunt, nullam utilitatem præbent, nisi vinculo quodam coarctata, aliquid commune inter se habeant. Cæterum, difficile est credere Galeno affirmanti apud eos a parentibus pueros anatomiam didicisse corpora aperiendo, simul ac prima legendi scribendique elementa, atque, ita eruditos, non magis postea anatomiam quam litteras oblitos esse [1]. Hæc profecto in majus elata sunt, nam in libris ipsius Hippocratis permulti errores de internis partibus reperiuntur. Præterea, declarat Aristoteles multos post annos nihil compertum esse de interioribus corporis humani partibus, easque ad similitudinem animalium æstimandas esse [2].

Medicina quidem non tota penes Asclepiadas fuit. Celeberrimæ medicorum scholæ a templis originem duxerant, et Cnidi, Coi, Cyrene, Crotonæ, Rhodi pluribusque in aliis locis florebant [3]. Medici ibi edocebantur, deorum cultus expertes, qui per Græcas civitates ægros invisebant. Multæ de eis fabulæ, et pauca certa nobis tradita sunt. Sed ex illis ipsis fabulis conjici potest eos, velut sacerdotes, mere empiricos fuisse, morbis externis et vulneribus præcipue curam admovisse, simplicibus

1. Galen., *Admin. anat.*, l. 2, c. 1.
2. Aristot., *Hist. anim.*, l. 1, c. XVI.
3. Galen., *Meth. med.*, l. 1, c. 1.

medicamentis usos esse, et eam potissimum excoluisse medicinam quæ in victu, balneis, unctionibus et diætetice ponitur.

Medicos apud illos omnes ars nihil aliud quam rudis ἐμπειρία fuit. Causas enim inquirere, communia conferre, inductione aut ratiocinatione uti parvi momenti eis videbatur; res manifestas inspici, symptomata curari satis ducebant. At, in contraria parte, philosophi qui eadem ætate vitam degebant, ad propositum omnino diversum summis viribus contendebant. Universitatem rerum suis disquisitionibus complexi, totam naturam interpretari conabantur. Itaque, ut ait Celsus, « primo medendi « scientia sapientiæ pars habebatur, ut et morborum « curatio, et rerum naturæ contemplatio sub iisdem « auctoribus nata sit [1] ».

Cui tamen opinioni non omnino fides adhibenda est. Medicam artem, occasione data, exercebant veteres physici, sed in sua cognoscendi cupidine magis laborabant quam in utilitate communi, teste Aristotele : « Φανερὸν ὅτι διὰ τὸ εἰδέναι τὸ ἐπίστασθαι « ἐδίωκον, καὶ οὐ χρήσεώς τινος ἕνεκεν [2]. » Non igitur medicinam velut finem assequi, sed ab ea velut a principio proficisci volebant, et jam illud quod posterius vulgo dici solitum est proferre poterant :

1. Cels., Præf., p. 1.
2. Aristot., *Metaph.*, l. 1, 982 b.

« Ubi desinit medicus, incipit physicus. » A quibus initiis mundus originem ceperit, quæ vis occulta molem ejus agitet, quæ Deorum animæque natura sit, quot et quanta sint cœlestia sidera, quomodo inter se et cum humana vita mirabili motus ordine congruant inquirere eis in animo erat. Non ergo mirum est si, res ipsas minutius et constantius observare parum habentes, abditas causas comprehendere conati sunt. Quemadmodum Asclepiadis eisque qui ex professo medicinam exercebant ars tantummodo in sensibus, usu, memoria et experientia versabatur, ita veteres philosophi cogitatione et ratione causas ab ipsa natura penitus involutas intueri et perspicere volebant.

Attamen, a scriptoribus quibusdam traditum est eos, quanquam audaciores impetu mentis, nimisque proclives ad inanem eam inductionem quam Græci ὑπόθεσιν nominant, nihilominus ad res observandas attentos fuisse, præsertim ad res medicas, et nonnulla invenisse. Multi asseruerunt, ut Galenus de Asclepiadis, philosophos plerosque animalium corporibus aperiendis consuevisse, et anatomiæ non mediocre adjumentum attulisse. Pythagoras, si Celso Diogenique creditur, medicinam in Ægypto edoctus, eam exercuit et docuit, imprimisque eam partem quæ valetudinem victu tuetur [1]. Alcmæon, unus ex ejus

1. Cels., Præf., p. ? — Diog. Laert., *Vit. Pythag.*, c. VIII. — Plin., l. 20, c. IX. — Pythag., *Aur. Carm.*, 32.

discipulis, primus descriptionem internarum corporis partium edidisse dicitur.

In studium idem incubuit Empedocles. Selinuntem enim urbem salubrem effecit, exitu dato stagnantibus aquis, et pestilentiæ contagia ignibus accensis prohibuit [1], quod quidem de Hippocrate aliisque medicis quoque narratum est. Acron, ejus æqualis, in experimentis maxime versatus esse traditur, quippe cui Alexandrini empirici sectæ suæ originem reportarent : « Alia factio ab experimentis se « cognominans Empiricen cœpit in Sicilia, ab Acrone « Agrigentino, Empedoclis physici auctoritate com- « mendata [2]. » Heraclitum quoque medicinæ operam dedisse verisimile est, quamvis de eo incerta obscuraque fama ad nos pervenerit. Democritus denique, magnorum physicorum postremus, vitam in experimentis consumpsisse fertur. Eum in anatomia acriter se intendisse conjicere licet ex epistolis quæ Hippocratis operibus additæ sunt ; quæ, quanquam parum auctoritatis habent, antiquum tamen afferunt testimonium. Multi præterea philosophi Ionii aut Eleates, quos enarrare longum est, rei medicæ studiosi fuerunt.

Sed, licet quædam ab eis casu reperta sint,

1. Plin., l. 26, c. XXVII.
2. Id., l. 29, c. I.

nihil aut paululum incrementi ad medicinam conferre poterant. Fortuita enim erant apud eos experimenta; atqui ea tantum observatio utilis est quæ ad certum finem instituitur. Necesse est ut experimenta τὴν ὑπόθεσιν prægrediantur, et postea quid ex ea consequatur approbent. Vana autem conjectura est, nisi a certis rebus profecta, res obscuras illustret, nec ulli certæ rei adversetur. Paululo contenti in rebus observandis comparandisque veteres philosophi erant, dummodo in physicis simplices universasque interpretationes proponerent. Alii causam omnium rerum aerem esse statuebant, alii aquam aut ignem, alii primas qualitates aut elementa invicem mutata. In his et talibus opinionibus aliquid verisimile reperire licet summatim res consideranti; Hippocrates vero eas jure appellabat κενὰς ὑπόθεσεις. Medicinam a sua via deterreri credebat, dicebatque se ignorare quomodo ratiocinatores congruenter suis principiis ægrotos curare possent [1].

Vera igitur methodus nec apud Asclepiadas, nec apud medicos, nec apud philosophos orta erat. Alii enim, permultas observationum inter se discrepantium series coacervantes, in singulis consistebant; alii inconsulto mentis impetu sese in tantam altitudinem erigebant ut singula omitterent. Itaque, quum

1. Hippocr., *De prisc. medic.*, p. 604.

et inter philosophos et inter medicos summa dissensio esset, par in periculum philosophia medicinaque venerant. « Sequentia ejus (belli Tro-
« jani), mirum dictu, in nocte densissima latuere,
« inquit Plinius, usque ad Peloponnesiacum bellum.
« Tum eam revocavit in lucem Hippocrates, genitus
« in insula Coo, imprimis clara ac valida, Æsculapio
« dicata [1]. »

1. Plin., l. 29, c. 1.

CAPUT II

Quomodo Dogmatici, veram medicinæ methodum ab Hippocrate repertam omittentes, philosophos secuti sint, præsertim Platonem Aristotelemque.

Diversæ de Hippocrate opiniones jam ab antiquis scriptoribus editæ sunt. Affirmat enim Galenus eum inter philosophos, ut inter medicos, principem locum obtinuisse, et multa Platonem ex eo assumpsisse, multaque Aristotelem ipsum in ejus libris imitanda invenisse [1]. Scribit contra Celsus : « Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignus, ab studio sapientiæ disciplinam hanc separavit, vir arte et facundia insignis [2]. » Quæ vero sententiæ, quanquam specie contraria, facile inter se conciliari possunt. Vanas inductiones et universas cogitationes allatas a philosophis in medicinam nihil ad eam utilitatis conferre declaravit Hippocrates. Ex ea dejicere conatus est ambitiosas

1. Galen., *De fac. natur.* l. 1, ch. II. — *De decret. Hipp. et Plat.*, l. 5.

2. Cels., Præf., p. 2.

contemplationes quæ abditas res complectebantur, eamque ad hominem cum sanum tum ægrotantem observandum revocavit. Constat igitur eum medicinam a philosophia separavisse, si in commenticiis istis opinionibus, conjectura tantum collectis, speciosioribusque quam verioribus omnem philosophiam ponere velis. Philosophi autem de scientia bene meriti erant, quippe qui docuissent rudi singularium rerum experientia nunquam perfici et absolvi medicam artem, nisi communium comparatio adhibeatur. Hanc rationalem disciplinam cum experimentis usuque conjunxit Hippocrates, atque rationem et experientiam antea inter se contrarias consociando, veram methodum primus invenit, adeo ut jure eum medicinæ parentem vocare liceat. Ut enim Socrates a cœlo in terram sapientiæ studium deduxisse dicitur, ita Hippocrates medicinæ verum assignavit finem, id est morborum curationem [1]. Philosophiam a medicina disjunxit, sed philosophandi rationem medicinæ adjecit, ostenditque quantum ad scientiam referat non quæ, sed quomodo inventa sint. Non ergo mirum est Dogmaticos æque et Empiricos ad Hippocratem originem suam referre voluisse, nam multos in ejus libris locos reperire est quibus alterutri sectæ assentire videtur. Dixit enim, ut exem-

1. Cf. Al. Bertrand, *Parallèle histor. de la philos. et de la médec.* (Rev. scient., 1884, t. I, p. 137 sqq.).

plum præbeam : « ἐμοὶ δὲ ἀνδάνει μὲν ἐν πάσῃ τῇ « τέχνῃ προσέχειν τὸν νόον. » [1] Atque ab eo sæpe laudati sunt veteres philosophi « καλῶς καὶ λογισμῷ « προσήκοντι ζητήσαντες πρὸς τὴν τοῦ ἀνθρώπου « φύσιν [2]. » Non autem immerito contendebant Empirici plurimum experientiam apud eum valuisse, affirmabantque Hippocratem verum suæ doctrinæ patronum esse. Quod paucis explanare necessarium est.

Tanta dissensio, sub Hippocratis temporibus, in rebus medicis erat, ut vix aliquid firmum certumque condi posse videretur. Hippocrates, quanquam nulla a prioribus inventa eum fugiebant, nihil optatius habuit quam ut solida medicinæ initia inchoaret, eamque in observationibus stabilius fundaret. Itaque, principiis ab experientia captis, totam operam dedit ut omnia inquireret quæ maximi momenti sunt ad hominis valetudinem. Atque, quum esset partium corporis interiorum parum gnarus, animadvertit notavitque præsertim externas et manifestas morborum causas, quæ in alimentis, victu, aquis, cœli regionisve condicione aliisque talibus rebus ponuntur. Quæ quidem inter omnia, alia nobis salubria et utilia, alia exitiosa esse usus ipse jamdudum docuerat. Nullo ab alio initio profitetur Hippocrates

1. Hippocr., *De vict. rat. in ac.*, t. II, p. 230, ed. Littré.
2. Id., *De prisc. medic.*, p. 600.

quam a consuetudine medicinam ortam esse, eodemque inconsulto motu homines a natura impelli ad remedia in dolorem quærenda atque ad sitim famemve depellendam. Medicam igitur artem ab experientia profectam esse et per experientiam progressuram semper affirmavit, vetuitque medicum ambitiosis cogitationibus de occultis morborum causis indulgere.

Itaque, eas imprimis medicinæ partes excoluit quæ ad sanitatem tuendam aut restituendam victu et remediis pertinent (quas Græci ὑγιεινήν et θεραπευτικήν vocant), neglectis pæne illis quæ corporis instrumenta actionesque describunt (quæ a Græcis ἀνατομή et φυσιολογία nuncupantur). Hæc tantummodo consideranti jure gloriari videntur Empirici affirmantes sese, exclusis aliis omnibus, veros hippocraticæ doctrinæ heredes esse. Patet enim hæc omnia, quæ modo dixi, Hippocrati et Empiricis communia fuisse. « Obscurarum vero causarum et naturalium actio- « num quæstionem ideo supervacuam esse conten- « dunt, quoniam non comprehensibilis natura sit [1]. » Nefas simul ac inutile esse affirmabant « incidere cor- « pora mortuorum, eorumque viscera atque intes- « tina scrutari », et multo magis « vivorum homi- « num alvum atque præcordia incidere [2]. » Contende-

1. Cels., Præf., p. 4.
2. Id., p. 6.

bant denique Hippocratem, ut se ipsos, experientia persæpe, ratione autem raro aut nunquam usum esse, confitente ipso Galeno: « ὁ θαυμαστὸς Ἱπποκράτης « πολλὰ ἐκ πείρας μᾶλλον ἤ ἐκ λόγου τινὸς ἐγνωκέναι « δοκεῖ. [1]. »

Quæ quidem omnia Empiricis concedenda sunt. At processit ultra Hippocrates. Res evidentissimas primum observat, sed latius patet ejus doctrina. Causas quoque morborum indagare conatur, non quidem illas causas a corpore sejunctas, quæ sola conjectura præsagiri possunt, sed causas proximas, in corpore ipso aut præsentibus rebus insidentes, et quas sensibus attentis diligentique observatione deprehendere licet. Non autem fieri potest ut omnia simul observentur: cunctis e commixtis confusisque rebus una res eligenda est quæ præcipua causa videatur esse. Atqui electio illa non ab experientia aut a sensibus, sed a ratione sumenda est. Animadvertit Hippocrates liquidas corporis partes primum corrumpi quandoque valetudo perturbatur, atque ex humoribus male temperatis morbos omnes oriri credidit. Crisis et coctio necessariæ ei visæ sunt ut, vitiatis humoribus concoctis expulsisque, sanatio incideret. Ostendit corpus humanum, ut universum orbem, ex quatuor primis elementis formari. Denique, altius

1. Galen., *Hippocr. de humor. comment.*, l. 1, ch. VII.

exsurgens, summum constituit principium, naturam scilicet, mente quadam et providentia præditum, quod res cunctas regat, semper ad optimum tendat, atque curationem morborum sanitatisque custodiam per interjectas facultates efficiat.

Ex his Hippocratis doctrinæ lineamentis strictim adumbratis breviterque collectis, intellegi potest quæ fuerit apud eum medicina. Observationem et experientiam initium artis esse declarat; non autem observat singula, sed communia, non partes, sed summam. Omnia morbi cujusdam signa, omnes corporis partes generatim amplectitur, atque inde causas deducit, ita ut naturam prudens ac sciens adjuvare aut corrigere possit. Non jam sunt, ut apud Asclepiadas, tot morbi quot homines. Morbos autem, signorum comparatione definitos, in certa genera distribuit, adeo ut cuilibet morbo dijudicato præcognoscat medicus quid exacerbationis, mutationis exitusque fuerit, nisi propriis remediis se ipsum interposuerit. Medicina ergo non tantum præterita discit, aut præsentia videt, sed futura prospicit atque in melius mutat. Dum ita eam exstruit Hippocrates, experientia quidem utitur, sed ultra meram experientiam transgreditur, Empiricosque superat. Congruenter experientiam cum ratione consociare conatur atque in utriusque concursu speciem perfectæ medicinæ ponit.

Nonnihil igitur verum, aliquid autem nimium contendebant Empirici affirmantes sese Hippocratis fideles discipulos esse. Hippocrates enim a medicina philosophiam sejunxit, eam dico quæ inanes umbras prosecuta, per vana somnia hallucinari videbatur; medicinam ad experimenta et observationes velut ad stabile fundamentum retulit; at non existimavit id satis esse, nisi adjiceretur causarum indagatio, rerumque generalium notitia, quæ propria est philosophia. Ne multa, sapientiam, ut ait ipse, in medicinam et medicinam in sapientiam immisit; medicus enim philosophus æque ac deus æstimandus est. « Μετάγειν « τὴν σοφίην ἐς τὴν ἰητρικὴν καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν « σοφίην· ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσοθέος [1]. »

Quæ profecto doctrina adeo fecunda atque utilis est ad augendas omnes artes quæ ad naturam pertinent, ut vix alia quædam via excogitari possit. Non enim alio modo, progredientibus sæculis, tantum increvit medicina, ac, nostra etiam ætate, omnes docti viri operam suam vel inviti ad Hippocraticam rationem accommodant. At ut in medicina ita in philosophia raro contingit ut discipuli magnam quamvis doctrinam in universum complectantur, serventque illibatam. Homines enim, insita quadam ingenii infirmitate, semper in deterius proni sunt, et quisque

1. Hippocr., *De decenti habitu*, t. IX, p. 233, ed. Littré.

pro virili parte summorum virorum præcepta ad eam interpretationem trahit quam suis ipsius cogitationibus potissimum consentaneam esse putat. Itaque eadem fortuna Hippocratis doctrinæ atque Socratis fuit. Nam omnes græcorum philosophorum disciplinas quæ postea exstiterunt ad Socratem velut ad communem originem referri posse fusius demonstrare supervacaneum est. Vix enim demortuo Socrate, disciplina ejus discerpta lacerataque dividitur. Plato et Aristoteles, ei incumbentes parti quæ in rerum abditarum contemplatione versatur, magistri doctrinam in diversum detorquent, et omnia quæ ex ea consequuntur concludunt, ita ut tota metaphysica, ab uno et eodem initio profecta, per contrarias vias brevi postea deducatur. Cyrenaici autem dant operam parti quæ est de vita et moribus, ac summum bonum voluptatem esse statuentes, Epicureis viam pandunt. Eodem modo Cynici erga Stoicos se habent, superbam patientiam cujuslibet mali remedium unum esse suadentes. Megarenses denique, calliditate mira disputandi Socratis dialecticen imitati, argumenta præmoliuntur quibus Pyrrho, Sceptici et novi qui dicuntur Academici tam subtiliter usi sunt.

Quod haud multo secus medicinæ evenit. Demonstraverat Hippocrates medendi artem in experimentis esse ponendam, ratione collatis et comparatis ; medicinaque uno et perpetuo tenore in dies processisset

si eum sui discipuli secuti essent. Duæ autem hæ partes inter se tantopere dissidere videntur, ut vix et raro a præstantissimis ingenio viris æqualiter consociari possint. Mox medicina quam Hippocrates unam effecerat, velut philosophiam Socrates, plures in doctrinas distracta est, ac, notanda quadam cognatione, paribus mutationibus in utramque disciplinam inductis, tot medicorum sectæ quot philosophorum scholæ ortæ sunt.

Hippocrati successerunt duo filii, Thessalus et Draco, generque Polybius, qui dogmaticæ sectæ veri conditores fuere. Quid in libris usque ad nos sub Hippocratis nomine traditis editum sit ab eis, quid ab Hippocrate ipso, quid a posterioribus scriptoribus, internosci non potest, et jam ab antiquis temporibus incertum erat [1]. Constat autem hos libros collectos esse a medicis qui ejus quasi æquales erant, aut qui paulo post ejus mortem florebant, et longe ante Herophilum omnia Hippocratis collectanea jam exstare. Attamen, multæ res in eis contrariæ, novæ et mutatæ apparent, et manifestum est Hippocratis successores opiniones multas a diversis philosophis assumpsisse. Apud plerosque eorum, Plato magna auctoritate fuit, et ejus doctrina de physicis mox in medicinam immissa est. Errat ergo Galenus dum

1. Cf. Littré., Introd. à la trad. d'Hippocr., p. 154, sqq.

affirmat primos Hippocratis successores nihil de magistri principiis mutavisse [1]. Medicinam veteres Dogmatici jam demovebant a via in qua Hippocrates eam direxerat, nec tenebant certum modum quo pari libra experientiam rationemque æquare voluerat. Existimabat enim Plato nullam sensibus fidem tribuendam esse, omnia quæ sensu percipiuntur incerta esse, continuo fluxu elata, nec aliquam cognitionem in eis constitui posse. Restabat igitur ut neglecta, immo spreta observatione rerum, ad causarum inquisitionem mentis cogitatio adhiberetur. Tota Platonis ad id propositum tendit doctrina, ut ingenium educatur e vanis et fallacibus imaginibus, et insurgat animus usque ad æternas formas quæ ideæ ab eo appellantur, et omnium rerum vera exemplaria sunt. Quid Hippocraticæ methodo magis contrarium esse poterat, quid similius illis veterum physicorum disciplinis, adversus quas repugnaverat Hippocrates? Fatetur in Phædone Plato se omnes evolvisse libros in quibus physici causas afferre voluissent cur res quæque oreretur, existeret et corrumperetur, ac denique illius inquisitionis omnino imperitum se sibi ipsi visum esse [2]. Eadem tamen via progredi tentavit: assentiebatur enim Anaxa-

1. Galen., *Hippocr. de nat. hum. comment.*, l. 1, ch. 1.
2. Plat., *Phœd.* 96 b.

goræ dicenti Mentem esse regulam principiumque omnium rerum, credebatque omnia, ad optimum finem creata, a Mente in ordinem adducta esse. Oportebat ergo philosophum id tantummodo requirere, quam ideam quæque res referret, ad quem finem constitueretur. Hæc indagatio causarum quæ finales a philosophis dicuntur perniciosa medicinæ fuit, eamque, a prudenti Hippocratis moderatione diductam, in omnes vanarum conjecturarum casus iterum immisit. Plato ipse, dum universæ naturæ originem atque corporis humani compositionem explicavit, nihil certum, nihil compertum affirmavit; quin etiam, tam obscure disseruit in Timæo ut ardua res sit discernere quid plane, quid allegorice dicere voluerit.

Ea maxime ambiguitas Platoni conciliavit medicos, ad controversiam multo magis quam ad observationem aptos, et qui in ejus doctrinis perennem subtilium disputationum fontem inveniebant. Sophistæ cæterum, ad argutias dialecticæ totam operam reducentes, medicos ad sui imitationem traxerunt, ac, naturæ studio neglecto, quod tantopere commendaverat Hippocrates, ars medendi in inanem quamdam loquendi profluentiam degenerare cœpit. Platonis enim discipuli per abstrusiores quæstiones libenter vagati, magis magisque in dies pro rebus certis delirantium somnia hallucinantur.

Speusippus Xenocratesque, qui Platoni successerunt, cogitationes Pythagoræ cum ejus doctrina miscuere [1], medicosque induxerunt ut putarent numeros magni momenti ad vitam humanam esse. Quid, exempli gratia, inanius esse potest artificiosa ista convenientia quam Straton et Diocles Carystius inter septenos dies et fœtum in utero conceptum existimabant esse, auctore Macrobio [2]? Permultæ illis temporibus natæ sunt sectæ magis attentæ ad invicem disputandum quam ad addenda experimenta prioribus experimentis; medicus quisque sententiis subtiliter excogitatis inclarescere maluit quam lenta tutaque opera ad commune artis incrementum incumbere. Cæterum, Socrates et Plato naturalem philosophiam profitebantur nec fundamentum nec materiam habere; τὰ φυσικά prætermittentes, τὰ ὑπὲρ τὰ φυσικά persequebantur, et in idearum contemplatione omnem scientiam ponebant. Comminui ergo necesse erat mirabilem illam compositionem quam effecerat Hippocrates, si medici, rebus quæ sensus movent relictis, philosophos Platonis sectatores in absconditis cogitationibus sequebantur. Quod ita evenit, magno medicinæ detrimento, et, paulo post Hippocratis mortem, omnibus inter se dissen-

1. Cf. Arist., *Ethic. ad Nicom.*, l. I, c. IV.
2. Macrob., *Comment. in somn. Scip.*, l. I, c. VI.

tientibus, ars medica, a vera methodo devia, minus prospere successura videbatur.

Attamen verisimile est, primo quidem adspectu, medicos qui Aristotelis disciplinam sequebantur, ad experientiam ab eo revocandos esse. Opus enim a Democrito frustra tentatum iterum Aristoteles susceperat, omnes cognitionis partes ex ordine complectendo, ita ut scientia aliquid unum, stabile et certum fieret. Animadverterat enim erravisse Democritum, sensus fallaces esse existimantem, atomosque et vacuum sola ratione demonstrantem. Antiquissimos apud physicos, necessarium erat hypotheses quasdam temere proponi, nam pauca pro explorato comperta erant. Sed, ætate progrediente, proventus ille experimentorum in dies major factus erat, et jam res ipsæ ostenderant quam vanæ fuerint abstrusæ cogitationes, sine rebus effictæ. Voluit Aristoteles errorem coarguere eorum quibus sensus nulla aut dubia fide digni videbantur, docuitque omnia mentis cogitata a sensibus originem traxisse. Non vero credebat in sensibus omnem scientiam poni; inter enim animalia, alia prædita esse, alia indigere memoria putabat; illa educari posse, hæc tantum naturæ impetu moveri; solum hominem, ratione et intellectu ornatum, e rebus sensibilibus assurgere posse ad universas notiones, quæ vera scientiæ materia sint; non esse singulorum scientiam, at

e singulorum observatione et e memoria principium scientiam capere. « Δοκεῖ σχεδὸν ἐπιστήμῃ καὶ τέχνῃ « ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία· ἀποβαίνει δ'ἐπιστήμη καὶ « τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις.... γίγνεται « δὲ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων « μία καθόλου γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις [1]. » Nihil certius est ad acquirendam scientiam quam ea ὑπόληψις quæ, a singulis rebus profecta, ad universa pervenit; atque eo utilior uberiorque erit quo plura observata fuerunt. Itaque, remotissimis e regionibus animalia, plantas, lapides, et si quid cognitu erat dignum magnis sumptibus collegit Aristoteles; ingentem librorum thesaurum contraxit, ipse aperiendis corporibus operam dedit, omnia denique ea coegit quæ ad interpretationem naturæ aliquid commodi allatura existimabat. Aristoteles ergo videbatur commenticias Platonis conjecturas redarguere, atque exemplo suo Hippocraticam methodum commendare.

Longe autem aliter res sese habuit. Aristoteles quidem multum valuit apud medicos; sed medici, incredibili quadam insulsitate, ex ejus doctrina id solum sumpserunt quod obscurum, dubium, aut ambiguum erat, quod vero nequaquam aut parum ad artis exercitationem prodesse poterat. Plerique eorum,

1. Arist., *Metaph.*, l. 1, c. 1, 981 a.

vero medicinæ fine ablato e conspectu, philosophari et disputare maluerunt quam salubria morborum remedia perseveranter inquirere. Aristoteles, quum totam naturam comprehendere conatus est, essentiam causamque omnium rerum indagavit, ad summam philosophiam pervenire tentavit. At medicina ars est in rebus et usu versata, non autem ea universa scientia quæ omnia complectatur. Aliæ enim ab ea, aliæ a philosophia quæstiones expediendæ sunt. Medicos decebat se ad Aristotelis exemplum conformare, incumbentis in experimenta, in anatomiam, in historiam naturalem, non autem eum sequi rerum divinarum et supra naturam involutarum primas causas explicantem. Methodus quidem, non autem doctrina, eis eligenda erat. Omnia vero contraria evenerunt, et Aristoteles, non sua sed sectatorum culpa, haud secus ac Plato et alii philosophi in infinitas controversias medicinam adduxit.

Præterea, ipsa Aristotelis physiologia, quanquam adversus Platonem flecti videtur, non tamen omnino ejus auctoritatem effugit, nec medicos ad rerum observationem revocare potuit. Nemo quidem prudentiores de methodo sententias protulit, nemo dilucidius inspectionem rerum commendavit, nemo denique immodicum rationis usum planius improbavit [1]. Animadvertit etiam Leucippi Democri-

1. Cf. Arist., *De Cœlo*, l. 3, c. VII. — *Hist. anim.*, l. 1, c. VI, etc.

tique discipulos, in physicis paratissimos, hypotheses excogitavisse quibus multæ res inter sese colligarentur, Platonicos autem, nimis subtilibus argumentis usos, singularum rerum singulas proprietates omisisse, et perpauca affatim explicavisse [1]. Attamen, naturalis ejus philosophia magis Platoni quam Democrito congruit. Hic enim docuerat nihil esse nisi atomos qui numero, forma et pondere præditi per inane moveantur, et quorum conjunctionibus omnia corpora constituantur. Mundus igitur immensa ei apparebat esse machina, in qua mathematicus unumquodque metiri, appendere, dinumerare possit, et, ut posterius Cartesius noster, profitebatur nihil amplius in universo esse quam partium figuræ motusque. Aristoteles vero in hoc loco Democritum non secutus est, atque in rebus non quantitatem, sed qualitatem consideravit. Non quidem credidit, ut Plato, ideas, id est simplices qualitates, sola rerum exemplaria esse, at singulos homines, id est qualitatum multarum quamdam congregationem, revera existere putavit. Non approbavit ea quæ pro sensibus videntur genere differre, pro ratione ad numeros aut magnitudines recidere [2]. Itaque, quum omnia quæ ad mathematicam perti-

1. Cf. Arist., *De generat. et corrupt.*, l. I, c. II, 316 a.
2. Cf. Egger, *Science ancienne et science moderne* (Revue internat. de l'enseignement, août 1890).

nent certo et sine dubitatione cognoscantur, ea autem quæ ad qualitates spectant nihil absolutum habeant, opinionemque afferant, non scientiam, haudquaquam mirum est si medici Aristotelicam doctrinam amplexi inanium verborum sonitu concertare maluerunt quam experiendo copiam artis augere [1]. Galeno ipsi, qui postea tot et tam præclara repperit, et tot in artem incrementa attulit, merito objectum est eum, nimio erga Aristotelem obsequio, medicinam rationalem observationi sæpius præposuisse, et ambitiosas explicationes, verbis multo valentiores quam rebus, nonnunquam adhibuisse.

1. « Sedere namque his in scholis auditioni operatos gratius erat quam ire per solitudines, et quærere alias herbas aliis diebus anni » (Plin., l. 26, c. II).

CAPUT III

Methodicos Epicuri, et Pneumaticos Stoicorum sectatores, ratione, non experientia usos esse.

Medici qui in Platonis Aristotelisve doctrinam abierunt Dogmaticam scholam effecerunt. Quod autem vocabulum latius in philosophia quam in medicina patet. Dogmaticos enim peculiari nomine Sextus Empiricus appellat « philosophos qui verita-« tem sibi invenisse videntur, et aliquid se haud « dubie cognoscere aut percipere arbitrantur [1] ».

Quo quidem nomine diversæ et inter se repugnantes doctrinæ significantur, et Sextus ipse, dum tres philosophandi rationes esse declarat, Dogmaticam scilicet, Academicam et Scepticam, inter Dogmaticos permixte Aristotelem, Epicurum Stoicosque commemorat. Dogmatica opinio ea est quæ ratione aut demonstratione approbari videtur; sed quia, eodem Sexto auctore, nihil difficilius est quam sta-

1. Sext. Emp., *Pyrrh. hyp.*, l. 1, c. 1, trad. Henr. Steph.

bili et firma demonstratione alicui fidem facere [1], pugnant inter se Dogmatici, « alii unum esse ele- « mentum pronuntiantes, alii infinita, et alii morta- « lem esse animam, alii immortalem, et alii provi- « dentia deorum gubernari quæ apud nos sunt, alii « autem providentia nulla regi affirmantes [2] ».

Dogmaticorum nomen in historia medicinæ angustius valet. Nonnunquam equidem ex origine Celsus Galenusque hoc verbo designant omnes eos qui « nisi corporum rerumque ratione comperta, « non satis potentem usum esse proponunt [3] » aut qui « indicatione in remediis inveniendis utun- « tur [4] ». Quæ definitiones nimis latæ esse viden- tur, et contrariis inter se disciplinis accommodatæ. Itaque plerique scriptores, et Galenus ipse, quoties- cumque sectas diligentius discernere voluit, Dogma- ticos appellare solent medicos qui Hippocratem, Platonem Aristotelemque patronos sibi vindicantes, præcipua præcepta tuentur in quibus summa Hip- pocraticæ doctrinæ consistit. Quæ quidem doctrina non ea semper fuit quam condiderat Hippocrates. A philosophis multum aucta fuit et conversa, atque omnes qui eam professi sunt paulatim nunc in

1. Sext. Emp., *Adv. Mathem.*, l. 8, 351.
2. Id., *Pyrrh. hyp.*, l. 1, c. XIV, 151. – Cf. l. 3, c. IV, 31.
3. Cels., Præf., p. 2.
4. Galen., *De sectis*, 1.

melius, nunc in deterius eam immutavere. In his tamen vicissitudinibus, aliquid unum servavit, Dogmaticique medici (qui Hippocratici sæpe nuncupati sunt) eisdem principiis, simili medendi ratione, communi denique disciplina usi, tam pares inter sese quam ab aliis abhorrentes permanserunt. Dissentiebant quidem nonnullis de rebus, at de eis quæ levioris erant momenti, et, sex post exacta sæcula, eodem tempore quo Plotinus Platonicam rationem redintegrabat, Galenus certam et consummatam Dogmaticæ doctrinæ formulam instituebat.

At, in intervallo temporis inter Hippocratem et Galenum interposito, philosophi novas disciplinas instituerunt a quibus medici principia mutuati, novas quoque curandi rationes proposuerunt; nec ullum in historia scientiarum reperiri potest exemplum quo mutua medicinæ philosophiæque conjunctio manifestius appareat. Epicuri primum dogmata præsertim valuerunt. Haud dubium est quin ab initio multi medici ea sibi adsciverint, crediderintque omnia in mundo formata esse non a principio quodam intellectu prædito, sed atomorum concursu, resque non animi contuitu cognosci, sed sensibus percipi. At tanta fuit Hippocratis auctoritas ut primo nullus hos inter medicos ab eo expresse recedere ausus sit. Paulatim vero doctrina ejus concussa est et labefactata ab Alexandrinis, qui frequentibus corporum

dissectionibus perspexerant nonnulla apud eum falsa esse, multa incerta, multa cum structura figuraque partium repugnantia. Herophilus Erasistratusque non jam Hippocratem colebant ut oraculum omnis humani erroris expers; Galenus refert « eos « semi-dogmaticos fuisse, et plus experimentis quam « rationi tribuisse [1] ». Non autem rationali medicinæ omnino adversabantur. « Durabat tamen antiquitas « firma, magnasque confessæ rei vindicabat relli- « quias, donec Asclepiades... sagacis ingenii huc se « repente convertit [2]. » Primus enim Asclepiades ab Hippocrate et Aristotele digressus est, immo eorum rationibus occurrit, atque Epicuri institutionem ad medicinam accommodavit.

Plinius, qui græcis medicis inimicissimus erat, Asclepiadem convitiis increpuit, et indignatus est « hominem qui nec id egisset nec remedia nosset, « e levissima gente, sine ullis opibus orsum, vecti- « galis sui causa, repente leges salutis humano generi « dedisse [3] ». Non autem Plinio omnino credendum est. Asclepiades enim gravis sincerusque fuisse videtur philosophus et medicus, qui serio et cogitabat, et loquebatur, et artem suam exercebat. Opera quæ composuerat interciderunt, sed eorum tituli exstant,

1. Galen., *Meth. med.*, l. 3, c. III.
2. Plin., l. 26, c. III, in init.
3. Id., l. 26, c. III.

ac scriptores multi seu pro eo seu contra eum dixerunt, adeo ut justam de eo existimationem habere possimus [1]. Librum quemdam « περὶ στοιχείων » ediderat in quo Hippocratis opiniones de elementis refellebat, atomosque statuebat omnium rerum principia esse. Qua de re se totum ab Hippocrate avertebat, et adversam doctrinam instituebat. Medicis igitur duas contrarias disciplinas eligere licebat, quas optime Galenus exposuit. « Altera statuit « omnem substantiam generationi mortique sub- « jectam primum unam esse, sed alterari posse « (γινωμένην θ'ἅμα καὶ ἀλλοιοῦσθαι δυναμένην); altera « immutabilem et inalterabilem (ἀμετάβλητον καὶ « ἀναλλοίωτον, in fragmenta primum divisam et « vacuis spatiis interruptam. De quo quid sequatur « si concluderis, videbis in hac secta neque substan- « tiam neque facultatem propriam esse naturæ aut « animæ, sed facultates substantiasque concursu « quodam primorum corpusculorum simplicium « immutabiliumque effici [2]. »

Existimabat igitur Asclepiades, ut Epicurus, primordia corporis esse corpuscula « quæ rursum eundo « sibi adjecta, vel conjuncta, omnia faciant sensibi- « lia, vim in semet mutationis habentia, aut per « magnitudinem sui, aut per multitudinem, aut

1. Cf. Raynaud, *De Asclepiade Bithyno* (th. lat.).
2. Galen., *De facult. natur.*, l. 1, c. XII.

« per schema, aut per ordinem[1] ». Atque profitebatur ex eis atomis non solum corpus, sed et animam formari, quam nihil esse statuebat nisi aerem respiratione in pulmones immissum, et cujus partem tollebat quæ principatum obtinet[2]. Nullam igitur animæ præcipuam sedem, nullam ingenitam cognitionem inesse dicebat, nullam propriam potestatem vera a falsis dijudicandi ; omnia enim quæ sub sensus cadant semper gigni, « nunquam autem esse, « instar fluvii fluente essentia, adeo ut res eadem « ne duo quidem momenta sustineat, propter velo« citatem fluxus[3] » ; omnia denique a sensibus proficisci : res externas percipi, simulacris quibusdam emissis, « quæ in sensibus impressionem efficiant[4] », ac illius impressionis conservationem memoriam esse[5].

Non ad meum propositum attinet Asclepiadis doctrinam curatius edisserere, nec opus est plura exponere ut affinitas inter ejus atque Epicuri disciplinam in lucem proferatur. Inter utramque equidem nonnulla discrimina deprehendere est, quæ Galenus et Sextus Empiricus callide indicaverunt. Non eodem

1. Cœl. Aurel., *De acut. pass.*, l. 1, c. XIV.
2. Cf. Sext. Emp., *Adv. Math.*, l. 7, 203.
3. Id., *ibid.*, l. 8, 8.
4. Id., *ibid.*, l. 7, 380.
5. Cf. Cœl. Aurel., *De acut. pass.*, l. 1, c. XIV.

modo prima rerum principia a philosopho et a medico excogitata fuisse videntur. « Democritus Epicurusque « docebant omnia quæ generantur ex dissimilibus « et impatibilibus, nempe ex atomis nasci, Heracli- « des autem Ponticus et Asclepiades ex dissimili- « bus quidem, sed patibilibus, nempe ex inconcinnis corpusculis [1]. » Credebat Asclepiades corporum primordia esse fragiles moleculas (ὄγκους θραύστους) quæ in plures partes dividi possint, atque ea opinione magis Eleaticis et Heraclidi Pontico assentiebatur quam Epicuro, apud quem atomi indissolubiles et individui sunt. De quo Galenus utriusque redarguens argumenta concludit « Epicurum res apparentes (τὰ « φαινόμενα) servare voluisse, sed eas cum suis « principiis componendo, in errorem venisse ; Ascle- « piadem autem consequentias principiorum serva- « visse, sed nullam rerum apparentium curam « habuisse [2] ».

Eis enim quæ generaliter de physicis excogitaverat ad humani corporis descriptionem translatis, affirmabat innumera in omnibus partibus foramina esse, per quæ ultro citroque influant atomi varii cum figura, tum magnitudine ; maximis materiam esse sanguinem, minimis calorem spiritumque. Qui-

1. Sext. Emp., *Adv. Math.*, l. 10, 319.
2. Galen., *De facult. nat.*, l. 1, c. XIV.

bus positis, hominis formationem, incrementum, sanitatem morbosque explicabat non propriis condicionibus aut natura quadam providenti, sed eisdem legibus quæ mundum universum regunt. Dum justa συμμετρία inter atomos errantes et meatus inest, firmam valetudinem esse dicebat; ubi primum ἀμετρία intercidat, morbos evenire necessarium esse; atomis crassioribus aut nimiis per constricta foramina transire nequeuntibus, statione corpusculorum effici obstructionem (ἔντασιν) quæ ardenti febri prodatur; atomi contra si minores facti per dilatatos meatus facilius commeent, languescere corpus, viresque deficere; officium medici esse in tempore opportuno laxata spiramenta contrahere, constricta resolvere. Nihil igitur rebus inesse nisi materiam motusque existimabat Asclepiades, velut Democritus Epicurusque, nec opus esse ut aliud quoddam principium induceretur. Itaque natura illa prudens quam Hippocrates docebat corpus humanum ad optimum finem conformavisse et tueri, Asclepiadi ludibrio erat; ostendebat enim ille naturam, nisi a medico correcta inhibeatur, sæpius nocere quam prodesse.

Jam vero aliam Hippocraticæ doctrinæ magnam partem funditus evertebat, quæ de imparibus aut criticis diebus erat. « Id Asclepiades jure ut vanum « repudiavit, neque in ullo die, quia par imparve

« esset, iis vel majus vel minus periculum esse « dixit [1]. »

Medicis ergo Dogmaticis adversabatur Asclepiades, quorum rationem « mortis meditationem » esse dictitabat, atque novam medendi disciplinam, ex Epicuri philosophia emanantem, supponere conabatur. Sed in philosophia dogmaticus erat, quippe qui certa stabiliaque principia instituisset. Non equidem mihi in animo est de Asclepiadis medicina enodatius disputare, ut apud eum de sanandis morbis quid verum, quid autem falsum fuerit ostendatur. At, quod ad methodum attinet, nova ejus doctrina parum aut nihil adjumenti attulit ad experimenta in artem medicam inducenda. Democritus enim et Epicurus, quorum in vestigiis incedebat, nunquam experimento ullo atomos et vacuum demonstrare tentaverant. Animadverterant « motum non « esse debere, si non sit inane, quoniam corpus « movendum destituitur loco in quem se recipiat, « quandoquidem plena omnia pressaque sunt [2] ».

Qua obliqua probatione eo facilius contenti erant quod atomos ratione conceptos, non sensu perceptos existimabant. Asclepiades quoque ratiocinatione tantummodo usus est, et sibi præcipuum finem proposuisse videtur ut simplicio-

1. Cels., l. 3, c. IV.
2. Sext. Emp., *Adv. Math.*, l. 7, 214.

rem et expeditiorem medicinam efficeret. Sed res ipsæ, si eas diligenti studio observaveris, implicatæ sunt inter se et adeo irretitæ, ut, præsertim in medicina, magnum opus sit causas effectusque discernere. Haud quidem difficulter rem Asclepiades expediebat : neglecta enim anatomia et observatione, omnes corporis actiones una ratione explicabat, omnes ægritudines eadem curatione tuta, cita jucundaque sanabat. Non igitur mirum est si Galenus, a quo summæ artis difficultates melius compertæ erant, illum vehementissimis convitiis persecutus est [1]. Occultas et finales causas Dogmaticorum tollebat Asclepiades, sed nihil certum in earum locum proponebat ; nam pariter errare videntur qui minutissimarum rerum singillatim rationem reddere volunt, et qui omnia cœco casu evenire profitentur.

Unus ex Asclepiadis discipulis, Themiso Laodicæus, doctrinam ejus etiam simpliciorem expedivit, ita ut, philosophia quasi omnino remota, facillime ad exercitationem medicinæ accommodata fieret, atque illius sectæ primus auctor fuit cujus fautores se ipsos Methodicos appellabant. Contendit Themiso « nullius causæ notitiam quidquam ad curationes « pertinere, satisque esse communia morborum

1. Cf. Galen., *De usu part.*, passim. — *De facult. nat.*, l. I, c. XIII, XIV, etc.

« intueri [1] ». Propterea, non magnum negotium erat Methodicis morbos dinoscere aut remedia invenire. Curabant Dogmatici de partibus corporis, de causis ægritudinum aut vulnerum, de ægrorum ætate, viribus, temperamento et sexu, de anni temporibus, aliisque de rebus. Nihil autem ex istis intuebantur Methodici. Communes affectus (κοινότητες) satis erant eis ad curationem indicandam. « Καὶ δὴ καὶ καλοῦσι κοινότητας αὐτὰ δὴ ταῦτα τὰ διὰ « πάντων διήκοντα τῶν ἐν μέρει [2]. » Hæc communia quæ omnes morborum species complectantur tria esse docebant : si naturales corporis evacuationes (κενώσεις) inhibentur, *strictum genus* esse dicunt (στέγνωσις) ; sin autem auctæ sunt, *fluens* aut *laxum* genus vocant (ῥύσις, ῥοῶδες) ; tertium denique genus *mixtum* (ἐπιπλοκή) appellatur. Nihil ergo facilius est quam morbo cuilibet medicationem admovere : « ἔνδειξιν δὲ τοῦ συμφέροντος ἐπὶ μὲν τῶν στεγνῶν τὴν « χάλασιν, ἐπὶ δὲ τῶν ῥοωδῶν τὴν στάλσιν ὑπάρχειν. [3] » E medicina ista ad sensum communem accommodata non mediocrem superbiam concipiebant Methodici, et profitebantur se de arte bene promeritos esse, qui eam tot et tantis impedimentis levavissent. Improbantes hoc vulgatum Hippocratis dictum :

1. Cels., Præf., p. 8.
2. Galen., *De sectis*, c. VI, 80.
3. Id., *ibid.*, 81.

« Ars longa est, vita brevis [1] », declarabant contra longam esse vitam, artem brevem, et medicinam ad communia reducentes, eam tam expeditam efficere volebant, ut intra sex menses disci posset [2]. Quæ vero arrogantia Galeno indignationem movebat, qui persæpe eos maledictis insectatus est, et per contumeliam « Asinos Thessali » vocare solebat [3].

Methodicorum doctrina in ambiguitatem incidebat, quæ quidem a Celso Galenoque optime notata est. Nolebant enim se aut Dogmaticis aut Empiricis annumerari, asserebantque se, utriusque sectæ nimio vitato, medium iter ingressos esse. Ab illis dissentiebant, sua quidem opinione, quod causæ cujuslibet inquisitionem inutilem esse credebant; ab his autem quod, experimenta prætereuntes, non singula sed communia intuebantur. At experientiæ rationisque illa conciliatio, quam tanta jactatione prædicabant, in verbis, non in rebus erat, et Methodicorum institutio adeo anceps fuit ut quidquid sibi invicem adversæ sectæ exprobrabant ei utrinque objectum sit. Eos magis etiam quam quoslibet alios rationales esse Celsus animadvertit : « Neque enim « si quis non omnia tenet quæ rationalis alius pro- « bat, protinus alio novo nomine artis indiget ; si

1. Hippocr., *Aphor.*, l. I.
2. Galen., *De sectis.*, c. VI.
3. Id., *Meth. med.*, l. I, c. II.

« modo, quod primum est, non memoriæ soli, sed « rationi quoque insistit [1]. » Themisonis æmuli, aliique qui eadem via processerunt, proferebant medicinam perpetua præcepta recipere, eamque ad principia quædam revocabant, non sensibus manifesta, sed ratione excogitata. Atomos Epicuri pro Aristotelis elementis reponebant, non majore verisimilitudine quod ad evidentiam attinet. Quis enim unquam atomos aut elementa vidit aut tetigit? Denique, auctore Galeno [2], indicatione ad curationem inveniendam, non observatione utebantur. Assimilatio quædam igitur erat Methodicis cum Dogmaticis.

At, in contraria parte, omnia quæ a rationalibus medicis contradicebantur Methodici diluere non poterant, et eos se confiteri Empiricos necesse erat. Nam imperitissimo cuivis strictum laxumve primo adspectu dinoscere licet. « Neque adjectum est « quidquam Empiricorum professioni, sed demptum « est; quoniam illi multa circumspiciunt, hi tantum « facillima et non plus quam vulgaria [3]. »

Nullo igitur modo per Methodicos vera medicinæ ratio profecit, ac perturbationem caliginemque in eam induxerunt, experientiæ pariter et intellectus

1. Cels., Præf., p. 9.
2. Galen., *De sectis*, c. VI. — *De opt. sect.*, c. VIII.
3. Cels., Præf., p. 9.

auctoritate deminuta. Veteres etiam isti Empirici, qui philosophari minime studebant, et qui consuetudini tantum parebant, frequenti usu edocti, nonnunquam peritiores fiebant. Methodicus autem medicus suis principiis ab omni progressione arcebatur, atque experimenta non solum inutilia, sed etiam noxia ei videbantur. Omnia enim se præcognoscere putabat, propriosque casus, in quorum observationem experientia primum incumbit, per se constare negabat. Communia tantummodo perspiciens, nihil explorare conabatur, credebatque medicinam ad summum jamjam perductam esse. Eamdem omnibus ægris curationem admovebat, nec a prospero nec ab exitioso eventu documentum ullum capiebat, et corporum dissectiones, naturalem historiam, clinicen, omnem denique scientiam supervacaneam esse existimabat. Itaque Methodicorum secta cito increvit, et plurimum gratiæ consecuta est apud eos quibus tironis labor longior videbatur, et qui ad prætereundum rudimentum festinabant. Itaque, cum ingenti assensu accepta est, et multa clarorum medicorum nomina annumeravit. Themiso, verus sectæ conditor, Thessalus, Soranus, Cœlius Aurelianus aliique illustres viri famam ejus amplissimam fecere. Sed illa gloria fluxa et fragilis fuit; nihil enim compertum aut perenne reliquerunt Methodici, atque eorum doctrina, quæ sine

experimentis, immo contra experimenta erat instituta, caducam post existimationem mox funditus eversa deperdita est.

Dum autem Methodici Epicurea philosophia inducebantur ad id ut novam simplicioremque medendi rationem instituerent, alii medici, Stoicos sibi magistros usurpantes, aliam sectam condebant, quæ quid in methodo experientiæ, quid rationi tribuerit breviter expendere necesse est. Stoici enim nihil formari aut permanere credebant quod ab omni concretione materiæ sejunctum esset : « ὄντα γὰρ μόνα τὰ σώματα « καλοῦσιν [1]. » Materiam vero dicebant per se ipsam nihil efficere, immo nihil esse : vim quamdam in ejus intima penetralia illabi, omnesque partes excitare et movere. Omnia ergo e duobus semper conjunctis principiis manare, e materia scilicet et e causa, « neque enim materiam ipsam cohærere « potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine « aliqua materia [2] » existimabant Stoici. Animantes, inquiebant, ea vi penitus insita vivunt, quæ omnes eorum corporis partes agit et ad unum finem impellit, mundusque totus, tanquam immensum animal, universa quadam anima incenditur, ex qua singulæ animæ olim delibatæ sunt, et cui iterum immiscebuntur. Illam mundi animam Stoici omnis rationis

1. Plut., *Adv. Stoic.*, 30.
2. Cic., *Acad.*, l. I, c. VI.

et intellectus quasi fontem esse censebant, eamque σπερματικὸν λόγον, aut σπέρμα νοερόν appellabant. Non Deum a mundo discernebant, sed affirmabant mundum mirabili quadam sapientia et providentia regi, quæ ubique dispersa et ubique agens, eumdem in tota natura concentum quam in alveario aut in civitate bene constituta componat. Nihil casu contractum esse putabant, at mundum, « qui contineat « seminarias rationes animantium rationis partici- « pum, esse ergo rationis participem : « ὁ δέ γε κόσμος « περιέχει σπέρματος λόγους λογικῶν ζώων· λογικὸς « ἄρα ἐστὶν ὁ κόσμος [1] ».

Hanc quidem animam qua mundus moderatur Stoici non incorpoream esse credebant, sed tenuissimo igni aut aeri eam assimilabant, seu πῦρ τεχνικόν, seu πνεῦμα χυτόν nuncupantes [2]. In homine autem mirati erant quantopere ad vitam pertineant respiratio et calor, animadverterantque ignem brevi tempore exstingui et calorem deminui, nisi flamma aere accensa excitetur. Itaque, quoniam in calore vita poni videtur, demortuique hominis corpus paulatim inalgescens mox frigore riget, animam qua vivit aeriam substantiam esse existimabant : « ἐπεὶ οὖν ἡ « ψυχὴ καὶ τὸ ἡγεμονικὸν πνεῦμά ἐστιν ἢ λεπτομε-

1. Sext. Emp., *Adv. Math.*, l. 9, 104.
2. Id., *Pyrrh. hyp.*, l. 3, c. XXIV, 188.

« ρέστερόν τι πνεύματος [1]. » Eamque animam subtiliorem etiam aere quem spiritu ducimus, per omne corpus diffusam, id totum agere credebat Chrysippus, nec immerito eum Pneumaticorum medicorum parentem fuisse Galenus scribit [2].

Haud sane nova erat hæc doctrina, atque, ab ipsis philosophiæ originibus, antiquissimi physici excogitaverant spiritum ad corporis animæque societatem explicandam. Anaxagoras enim, Diogenes Apolloniensis, Heraclitusque plurimum aeri ignique tribuerant, atque Hippocrates docuerat aerem regionis cujusdam multum ad habitum, valetudinem, indolemque incolarum pertinere [3]. Tenuem hanc auram alii animam ipsam esse credebant, alii subtilem substantiam inter corpus animamque interpositam. Doctrina autem a Stoicis aucta simul et immutata fuit. Anima enim apud eos, ut omnia quæ exstant, corporea est; nam profitentur aliquod corpus non moveri posse nisi alio corpore; principium ergo quo regatur corpus non a corpore sejunctum ac distinctum esse: animam esse igneam quamdam auram, quæ sanguinis vaporibus alatur, velut sidera telluris exhalationibus.

Mox ea interpretatio quam generaliter de mundo

1. Sext. Emp., *Pyrrh. hyp.*, l. 2, c. VII, 70.
2. Galen., *De dogm. Hippoc. et Plat.*, l. 3, c. I.
3. Hipp., *De aere et locis.*

et homine Stoici proposuerant in medicinam translata est, unde nova medicorum secta orta est, qui Pneumatici appellari solent. Athenæus, quem illius sectæ auctorem fuisse Galenus refert [1], credebat humanum corpus non ex elementis constare, sed ex primis qualitatibus, calido nempe frigidoque, humido et sicco : has autem qualitates corporeas esse : « ἑνὸς μόνου μετατιθεμένου τοῦ τὰς ποιότητας εἶναι « σώματα [2]. » Nihil autem ab eis afferri corpori nisi materiam declarabat : a quinto elemento, id est a spiritu, vitam procedere ; eo præsente, hominem vivere, ali, adolescere, cogitare ; eo subducto, protinus emori ; spiritum, per pulmones in cor, facultatis vitalis sedem, introductum, inde per arterias in cunctas partes diffundi, et eis vim officia obeundi ministrare ; spiritus eam vim in venarum pulsu deprehendi. Nihil enim aliud pulsum esse dicebat Athenæus nisi « motum effectum naturali dilata- « tione spiritus qui in arteriis et in corde est, qui- « que, se ipsum movens, arterias simul et cor « movet [3] ». Omnes igitur corporis naturales actiones spiritui obnoxiæ sunt. Quotiescumque incolumis illibatusque munere suo fungitur, valetudo manet integra ; sin autem aliquid detrimenti ei allatum est,

1. Galen., *De differ. puls.*, l. 4. ch. x.
2. Id., *De facult. nat.*, l. 2, c. iv.
3. Id., *De differ. puls.*, l. 4, c. iv.

inhibito ejus officio, corporis habitus utique corrumpitur [1].

Multum ea explicatio antiquis in temporibus prævaluit, atque a Galeno diligentius subtiliusque constituta, auctoritatem suam imposuit quoad circulatio sanguinis reperta totam veterem physiologiam subvertit. Immo, ultimum prodita est apud Cartesium, qui spiritum animalem ad sanguinis circumductum motum accommodare tentavit. Cujus quidem doctrinæ vicissitudines inquirere non hujus operis est; sed animadvertendum est Pneumaticos medicos imprimis fuisse ratiocinatores apud quos minus etiam quam apud Dogmaticos Methodicosque usus et observatio valebant. Nihil enim ab eis definitum est, atque proniores videntur fuisse ad subtiliter de verbis disputandum quam ad propriam medendi rationem inveniendam. Spiritus ille in quo posita est tota doctrina nescio quid incerti est, de quo infinita concertatio scriptoribus incidit, utrum substantia sit an qualitas. Epicurei saltem, quum animam subtilissimam quidem, sed corpoream esse affirmarent, res probatas manifestasque argumentorum loco afferebant :

« Ergo corpoream naturam animi esse necesse est,
« Corporeis quoniam telis ictuque laborat [2].

1. Galen., Introd., c. IX. — Cf. Aret., *De curat. diut. morb.*, l. 1.
2. Lucr., l. 3. v. 177.

Nihil tale est apud Pneumaticos: utebantur spiritu, non usu cognito sed inductione excogitato, velut occulta vi et causa, cui attribuere solebant quidquid in vita aut in corpore abditum involutumque videbatur, atque medicina eis expeditior etiam erat quam Methodicis ipsis: nam quæstioni cuilibet paratum responsum habebant, et supervacaneum fiebat observationi aut experimentis operam dare. Itaque, nulla unquam in secta majus discrimen fuit inter principia et cotidianam curandi tractationem. Summatim conveniebant de spiritu omnes Pneumatici; sed, ante lectum adductis ubi gravi morbo laborans ægrotus quidam jacebat, nullam communem securamque viam doctrina ostendebat, aliusque aliud consilium exsequebatur. Quapropter Pneumatici inter se non coeunt, ac vere sunt ἐκλεκτικοί. Agathinus, primus Athenæi discipulus, jam a magistro in curando discesserat, atque remedia a Dogmaticis, a Methodicis, ab Empiricis ipsis adeo assumere solebat, ut Galenus (aut quisquis Introductionem scripsit) eum auctorem τῆς ἐκλεκτικῆς αἱρέσεως fuisse dixerit [1]. Eadem opinio ad omnes pertinet, atque sive Archigenem, sive Philippum, Herodotum, Aretæum aut alios inspexeris, fere nullam inter eos de medicatione admovenda cognationem reperire poteris.

1. Galen., Introd., c. IX.

Præterea Pneumatici, Stoicos imitati, incitati erant ad disputandum, et præcipuam curam in dialecticis consumebant. Nulla igitur aut paucissima remedia invenerunt, sed definitiones aut distinctiones verborum tam argutas et immodicas proposuerunt ut Galenus ipse fateretur se Archigenis orationem non intellexisse [1]. Archigenis illius libro *De pulsu* commentaria Galenus addidit, refertque septem et viginti pulsus varietates ab eo indicatas, quarum nomina e græco convertere haud mediocre negotium est [2]. Haud minore calliditate de doloribus disserens, innumera faciebat discrimina, quæ nihil nisi inania verba esse optime Galenus ostendit [3].

Ne multa, per Pneumaticos, quippe quibus rationales cogitationes multo magis quam experientia in studio essent, nullum ratione et via profectum medicina habuit. Nonnunquam equidem fieri potuit ut fortuito aliquid verum aut utile reperirent, sed alia secta, de qua nunc tractaturi sumus, demonstratura erat quantum ad artis progressionem referat inductionibus parcius et cautius uti, et rebus magis quam verbis animum attendere, atque etiam in observatione rerum prima medicinæ principia collocare.

1. Galen., *De loc. affect.*, l. 2, c. x.
2. Id., *De differ. puls.*, l. 3, c. iv.
3. Id., *De loc. affect.*, l. 2, c. viii.

PARS ALTERA

CAPUT PRIMUM

Quibus ab originibus Empirica secta orta sit, et quæ controversia inter Dogmaticos Empiricosque de methodo fuerit.

Medicinam philosophiamque connexas et aptas inter se necessario quodam consensu esse medici ipsi vel nolentes demonstrant qui, semper præ se ferentes ab omni philosophia se dissidere atque, remota ratiocinatione, curam solis rebus et soli experientiæ adhibere, nihilominus cum secta quadam philosophorum cohærere videntur. Sæpe quidem concertatio inter eruditos incidit utrum Empiricorum medicorum doctrina a Scepticorum philosophia orta sit, an altera disciplina ab altera omnino separata fuerit, et utrinque subtiliter disputatum est. Alii animadvertunt Scepticos Empiricosque multis de

rebus consentire [1], et Galenum commemorant, qui hanc similitudinem sæpe notavit : « At vero neque « multiloquus neque longiloquus erit Empiricus, « sed pauca loquetur et rara, sicut et Pyrrhon « scepticus qui veritatem quærens et non inve- « niens ambigebat de omnibus immanifestis... « etc. [2] » Alii vero [3] multa inter utrosque discrimina fuisse dicunt, auctoremque proferunt Sextum Empiricum, qui, instituta quæstione « εἰ ἡ κατὰ « τὴν ἰατρικὴν ἐμπειρία ἡ αὐτή ἐστι τῇ σκέψει [4] », affirmat « empiricam illam, si asseveret obscura « comprehendi non posse, neque eamdem esse « cum Sceptica, sed ne sceptico convenientem ejus- « modi sectam esse [5] ».

Plures equidem differentias inter Scepticos et Empiricos deprehendere licet, nam eis, ut omnibus philosophis et medicis, altera ratio, alterum propositum fuit. Sed de principiis certis in quibus omnis disciplina nititur, maxima inter utrosque consensio est. Rebus enim quæ sensibus apparent empiricus scepticusque pariter animum attendit, atque in eis

1. Cf.Sprengel, *Hist. de la méd.* trad. Jourdan, t. I, p. 471 sqq.
2. Gàlen., *Subfig. empir.*, c. XI, p. 62.
3. Cf. Renouard, *Hist. de la méd.*, t. I, p. 352 sqq.
4. Sext. Emp., *Pyrrh. hyp* l. I, c. XXXIV, tit.
5. Cæterum Sextus ipse alio loco utrosque contrahit : « οἱ μέν φασιν αὐτὰ μὴ καταλαμβάνεσθαι, ὥσπερ οἱ ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας ἰατροὶ καὶ οἱ ἀπὸ τῆς σκέψεως φιλόσοφοι » (*Adv. Math.*, l. 8, 192.)

omnem cognitionem et omne initium scientiæ ponit. Nam omnia a sceptico dubia incertaque haberi falsum est : nunquam autem apparentia Sceptici sustulerunt. « Quærunt et ambigunt non de ea re quæ appa- « ret, sed de eo quod dicitur de re apparente [1] », atque non solum ea quæ sub sensus subjecta sunt evertere noluerunt, sed etiam, Dogmaticorum temeritatem arguentes, ultra res sensibiles procedentium, professi sunt « criterium scepticæ institutionis id « quod sensibus apparet esse : κριτήριον τοίνυν « φαμὲν εἶναι τῆς σκεπτικῆς ἀγωγῆς τὸ φαινόμενον [2]. » Itaque non negabant res quasdam evidentes esse et aliquid certum inveniri posse, immo vero semper id quærentes, sectam suam ζητητικήν appellabant. At, ad reperiendam veritatem, sensibus tantummodo utebantur, atque apparentibus acquiescendo vivebant, non « hoc quidem nimirum tale aut tale « apparere ipsum subjectum in dubio vocantes, sed « de hoc videlicet an tale sit quale apparet, quæ- « rentes [3] ».

Eisdem principiis plane assentiuntur Empirici. Rati enim rationem sæpe errare, et omnem certam cognitionem a sensibus educi, existimant occultarum causarum investigationem omittendam esse, ut

1. Sext. Empir., *Pyrrh. hyp.*, l. 1, c. x, 19.
2. Id. *ibid.*, l. 1, c. xi, 22.
3. Id., *ibid.*

res apparentes diligentius observentur. Non quidem negant rei cujusque propriam esse causam, sed hanc causam rem aliam esse contendunt quæ non mente excogitari, sed observatione notari semper debeat. « Evidentes causas ut necessarias amplectuntur : obs- « curarum vero causarum et naturalium actionum « quæstionem ideo supervacaneam esse contendunt, « quoniam non comprehensibilis natura sit [1].» Naturam comprehendi non posse declarat Empiricus, id est omnem disquisitionem de intima rei cujusque essentia inanem esse, et Scepticus : « ἕνεκα μὲν γὰρ « τοῦ μετὰ βεβαίου πείσματος ἀποφαίνεσθαι περί τινος « τῶν κατὰ τὴν φυσιολογίαν δογματιζομένων, οὐ « φυσιολογοῦμεν[2].» Dicit Empiricus τῶν ἀδήλων « ἀνομολογίαν εἶναι, οὐ τὴν περὶ τῶν φαινομένων· « ἐνταῦθα γὰρ ἕκαστον φανὲν οἷόν ἐστι μαρτυρεῖ μὲν « τοῖς ἀληθεύουσιν, ἐξέλεγχει δὲ τοὺς ψευδομένους [3] ». et Scepticus : « οὐδενὶ γὰρ τῶν ἀδήλων συγκατα- « τίθεται ὁ Πυρρώνειος [4]. »

Permulta scriptorum alia loca conferre facile est ex quibus exacta inter Scepticos et Empiricos convenientia appareat. At, meo quidem judicio, male controversiam instituerunt qui quæsiverunt num a

1. Cels., Præf., p. 4.
2. Sext. Empir., *Pyrrh. hyp.*, l. 1, c. IX, 18.
3. Galen., *De sectis.*, c. V, fin.
4. Sext. Empir., *Pyrrh. hyp.*, l. 1, c. VII, 14.

Sceptica philosophia Empirica medicina orta sit, velut a Platone et Aristotele Dogmatici, ab Epicuro Methodici, et a Stoicis Pneumatici originem ceperunt. Una eademque mentis inclinatio est Empirico ac Sceptico et uterque pro virili parte ad suam methodum assumendam ducitur una et eadem causa, scilicet infinitis repugnantiis eorum qui ultra res sensibus evidentes progressi, veritatem ratiocinando obtinere voluerunt, nec quidquam nisi contrarias, incertas ancipitesque opiniones invenerunt. Insociabili doctrinarum diversitate quæ seu in philosophia seu in medicina aliquod dogma per rationem statuerant persuasi sunt omnes eas falsas esse, immo omnem doctrinam a sensibus remotam necessario falsam esse. Inde in philosophia nata est Pyrrhonis disciplina affirmantis « παντὶ λόγῳ λόγον ἴσον ἀντικεῖσθαι [1] », et in medicina Empiricorum secta declarantium « in omni-« bus ejusmodi cogitationibus in utramque par-« tem disseri posse : itaque ingenium et facundiam « vincere ; morbos autem non eloquentia sed reme-« diis curari [2] ».

Non vero idem finis philosopho et medico propositus est. Sceptico enim assensionem retinere fas est, atque animum suspensum habere; quærit enim τὴν

1. Sext. Empir., *Pyrrh. hyp.*, l. 1, c. VI, 12.
2. Cels., Præf., p. 6.

ἀταραξίαν, id est « imperturbatum mentis statum « circa ea quæ ad opinationem spectant [1] ». Oportet autem medicum aliquid agere, et ægrotantibus sanationem aut levamen afferre. Unde fit ut, quamvis Sceptici et Empirici inter se de principiis congruant, in agendi ratione nonnunquam dissimiles esse appareant. Sceptico, de se ipso primum cogitanti, et in parte philosophiæ morali præsertim laboranti, diversæ hominum opiniones dubitandi causæ videntur esse, atque his potissimum vocabulis uti solet : « Fortasse, licet, fieri potest, assensum « cohibeo », et talia similia [2]. Empirico autem, artem suam exercere coacto, in actu medicina consistit; itaque, postquam vanas Dogmaticorum cogitationes evertit, non omnia in incerto relinquit, et aliquid stabile constituere conatur. Ut Scepticus in rebus præcipue perpendit quod singulare, varium ac mutabile est, et dubitanter inde concludit, ita Empiricus viam quærit qua a rebus ipsis certa præcepta ad communem utilitatem instituat. Itaque Sceptici philosophi summa tantum decerpserunt; Empirici autem justas observandi leges proposuerunt, atque majorem arti operam quam omnes priores medici præbuerunt.

1. Sext. Empir., *Pyrrh. hyp.*, l. I, c. XII, 25.
2. Id., *ibid.*, l. I, c. XXI et XXII.

Notatio quidem aut animadversio naturæ non nova res erat quum empirica secta circiter secundo ante Christum natum sæculo Alexandriæ condita est seu, auctore Celso [1], a Serapione, seu, quod Galeno placet [2], a Philino, Herophili discipulo. Antiquissimi enim philosophi, ut supra diximus, universæ naturæ studiosi, physica altius inspexerant. Aristoteles postea imprimis curiosus ad omnia naturalia investiganda fuerat. Nausiphanes, cujus Epicurus auditor fuit, scripserat, velut postea Glaucias empiricus, librum qui « Tripus » inscribebatur [3]. Epicurus ipse sensus esse initia omnis cognitionis professus erat, atque doctus nostræ ætatis philosophus quidam animadvertit eadem veritatis criteria ab eo atque ab Empiricis admissa esse [4]. Sed incomposita fuerat observatio omnes apud illos philosophos, nescientes quam arduum sit cavere ne fallaces species animum deludant, et quam attenta cura adhibenda sit in re quadam comperienda. Idcirco omnes, parum inspiciendarum rerum diligentes, incredibilibus erroribus temere fidem habuerunt. Non enim animadvertisse videntur res nunquam bis omnino similiter evenire, remque semel observatam nihil ad scientiam con-

1. Cels., Præf., p. 2.
2. Galen., *Subfig. empir.*, c. 1, p. 35.
3. Sext. Empir., *Adv. Math.*, l. 1, 215.
4. Brochard, *Rev. phil.*, janv. 1887, p. 42.

ferre. Incauti etiam ad credendum, cuilibet affirmanti facilius confisi sunt. Aristoteles, ille tam diligens et sagax naturæ speculator, credit, exempli gratia, vas cineribus impletum haud minus capax fieri aquæ continendæ quam antea [1], ferream laminam emergere, acum vero immergi [2], utrem aere inflatum graviorem esse quam vacuum [3], aliosque in errores, postea notatos, sæpius delabitur [4]. Intellexerunt contra Empirici permultas erroris causas in observandis rebus vitandas esse, necessarium esse experimenta iterari, variari, legibus certis teneri, atque veri conditores fuere ejus methodi qua, progrediente tempore, medicina et interpretatio naturæ tantum increverunt.

Omnes ab Empiricis editi libri interciderunt, atque eorum doctrinam solum novimus a scriptoribus qui eam redarguerunt. Galenus multis in locis obiter de eis dixit, expresse autem in duobus libris qui inscribuntur *De sectis* et *De optima secta* præsertimque in libello *De subfiguratione Empirica*, cujus oratio græca, nunc deperdita, in latinum olim a Nicolao de Regio translata est. De

1. Arist., *Phys.*, l. 4, c. VI, 215.
2. *De cælo*, l. 4, c. VI, 313.
3. *Ibid.*, l. 4, c. IV, 311.
4. Cf. Thurot, *Rech. hist. sur le princ. d'Archimède* (*Rev. arch.*, t. XVIII et XIX, et *Rev. critique*, 1er février 1873).

virorum quidem vita vix nomina quædam et pauca indicia usque ad nos pervenerunt, quæ singillatim exsequi nihil ad rem interest [1]. Sectæ primi auctores Philinus et Serapio discipuli fuerunt Herophili Alexandrini, qui jam a vetere Hippocratis ratione recesserat [2], atque ipsi summopere esse nixi videntur ut Dogmaticos refellerent per libros adversus Hippocratem scriptos [3]. Novis pluribusque medica-

1. Per sex circiter sæcula medicorum nomina reperiuntur quos Empiricæ sectæ fautores fuisse constat. Quid autem ab eis communi doctrinæ adjectum sit, parum compertum est. Clarissimos eorum, a scriptoribus commemoratos, observatis notatisque temporibus breviter referre mihi non inutile videtur.

Philinum aut ejus æqualem *Serapionem* sectam condidisse a Galeno apparet (*Subfig. emp.*, pp. 35 et 65), Philinumque discipulum *Herophili* fuisse. Atqui Herophilus regnante Ptolemæo vitam degebat (ann. 360-283.) (Gal. *Meth. med.*, l. 1, c. III). *Philinus* igitur et *Serapio* circiter 250 ante Christum natum Alexandriæ floruisse videntur.

Post hos, dubio temporis intervallo, *Apollonius*, *Glaucias*, *Mantias*, *Heraclides Tarentinus*, quos sub Cæsare Augustoque vixisse a Strabone conjici potest (cf. Strab., l. 14).

Dionysius, *Crito*, quorum nomina tantum exstant.

Menodotus, *Theudas*, qui, teste Diogene (l. 9, c. CXVI), sub Trajano Adrianoque imperatoribus vixerunt.

Herodotus Tarsensis.

Sextus Empiricus, Antonini imperatoris æqualis.

Callicles, *Diodorus*, *Lycus*, paulo ante Galenum (Adm. an., l. 4, c. X).

Æschrio, Galeni æqualis (Gal., *De simpl. med. fac.*, l. 2).

Marcellus denique, postremus Empiricorum, Theodosio imperante (ann. 379-395).

2. Galen., *De Meth. med.*, l. 3, c. III.

3. Galen., *Subfig. emp.*, c. XI, p. 65.

mentis utebantur, dialecticam ab arte expellebant [1], affirmabantque « nihil rationalem disciplinam perti- « nere ad medicinam [2] ». Celsus, omni explicatione omissa, Apollonium, Glauciam Heraclidemque Tarentinum enumerat, de quibus nihil pro comperto scire licet. Cæterorum insuper Empiricorum nomina a Galeno, Diogene Laertio aliisve scriptoribus tradita sunt, quæ omnia discere est apud eruditos viros qui de historia medicinæ tractaverunt [3]. Sua cuique laus olim haud dubie fuit; sed, tanto intervallo temporum interjecto, nullus inter eos pro nobis e vulgo se eximit; singularis cujusque persona obscura manet, et quod proprium incrementum quisque communi doctrinæ attulerit nunc in incerto est.

Unus autem ex eis, Menodotus Nicomediensis, non prætereundus est. Non solum medicus empiricus erat, sed etiam philosophus scepticus valde probatus, quippe qui cum Ænesidemo a Sexto laudatus sit [4]. Cujus de vita nihil certum habemus. « Antiochi Laodiceni discipulus fuit, nomen inter « Scepticos celeberrimum, et præceptor Herodoti

1. Galen., *Subfig. emp.*, c. XI, p. 62.

2. Cels., Præf., p. 2.

3. Cf. Sprengel, t. I, p. 469; Leclerc, *Hist. de la méd.*, p. 377 sqq., etc.

4. Sext. Emp., *Pyrrh. hyp.*, l. I, c. XXXIII, 222.

« Tarsensis, illius quem Sextus audivit [1]. » Natura injucundus et procax, contumeliose lædebat Dogmaticos medicos philosophosque, eos vocans « *drimy-* « *moros* et *drimyleones* », si creditur Galeno contendenti « eum latrare sicut canem, et nunquam defe- « cisse ab injuria et *bomolochia* adversus medicos [2] ». Sed, quanquam ejus indoles parum laudabilis videbatur, haudquaquam spernendo ingenio præditus erat, et, confitente ipso Galeno, constituendæ methodi præcipuus auctor fuit. Omnes quidem Empirici uno ore affirmabant medicinam in observationibus et usu ponendam esse; primus vero Menodotus experientiæ condiciones et leges certas ita statuit ut, omni singularis erroris periculo quasi remoto, universæ stabilisque scientiæ fundamentum fieret. Ut omnes ejus antecessores vel melius vel pejus observaverant, ita ille præcepta dedit ad accuratissime observandum.

Primum quidem Dogmaticos refellere, deinde suam ipsi doctrinam instituere conati sunt Empirici. Multa suis adversariis exprobrabant, sed quorum summa ad unum tendebat : ratione eos intemperantius uti contendebant. Itaque, nimia vicissitudine, eis ipsis crimini sæpe datum est omnem rationem a medicina tolli. Utraque vero insimulatio modum

1. Sext. Emp., *Pyrrh. hyp.*, ibid., edit. not.
2. Galen., *Subfig. emp.*, c. xi, p. 63.

excedit. Ut enim rerum observationem utilem et necessariam esse Dogmatici semper confessi sunt [1], ita Empirici rationis prudentem usum nunquam prohibuerunt. Acerrima inter utrosque controversia orta est de eo quam Dogmatici *indicationem* (ἔνδειξιν) appellabant. Alii experientia sola inveniri remedia profitebantur [2], alii indicatione [3]. Ne autem tantummodo in verbis discrimen fuisse videatur, quid hoc vocabulo significari voluerint Dogmatici perpendere opus est.

Permultæ res Dogmatico medico sunt inquirendæ, antequam medicationem morbo cuidam adhibeat : discere enim eum oportet quæ sit natura corporis curandi, quod temperamentum, quibus causis cotidie æger sanusve fiat homo, cujus momenti sint in eum aer, aquæ et loca, vivendi genus, alimenta, pocula, mores, ætas, sexus, regio ; quo denique modo remedia opus suum efficiant [4]. Quæ omnia ad observationem pertinent, et eo usque consentiunt Empirici et Dogmatici. At in his symptomatibus omnem scientiam Empiricus ponit ; Dogmaticus, contra, ea esse scientiæ initia putat, et e rebus sensibilibus abditas morborum causas

1. Cf. Galen., *De opt. sect.*, c. VII.
2. Id., *Subfig. emp.*, c I, p. 36,
2. Id., *De sectis*, c. I.
4. Id., *ibid.*, c. III.

inferre vult, ut per rationem reputet quæ fuerit in aliquam causam vis curationis cujusdam ante experimentum excogitatæ [1]. Ægrotantem igitur observat Dogmaticus, de symptomatibus ratiocinatur, causam morbi mente concipit, et ei causæ obnititur. Sæpe equidem indicatio, ut ait Galenus, congruentia quadam cum rebus evidentibus evenit, « καὶ οὐδενὸς « λογισμοῦ χρείαν ἔχει [2] ». Si fragmentum ossis in carne insidens dolorem movet, nulla ratiocinatione opus est ut evulsio indicetur. At, quod ad methodum attinet, ratio plerumque a Dogmaticis interposita est inter morbum et curationem ut medicationis indicatio reperiatur.

Dogmatici enim credunt se in morbum nihil agere posse, nisi causam invenerint, existimantque causam aliquid esse occultum et reconditum, quo sensibus aditus non sit. « Abditas causas vocant, « in quibus requiritur ex quibus principiis nostra « corpora sint, quid secundam, quid adversam vale- « tudinem faciat [3]. » Itaque aliam medendi rationem admovent prout alia philosophorum doctrina placuit. Inde multa inter eos discrimina quæ, ab Empiricis in lucem prolata, his argumento erant nihil certum inveniri posse si, rebus apparentibus

1. Galen., *De sectis*, c. III.
2. Id., *De opt. sect.*, c. X.
3. Cels., Præf., p. 2.

manifestisque omissis, ea ratiocinatio inducatur qua indicationem fieri credant Dogmatici, et quam ἀναλογισμόν vocent. *Analogismum* omnino prohibebant Empirici, quia non ex observatione sola principium capit, sed eam præterit, definiente Galeno : « ἀναλογισμῷ δὲ τὸ χρήσιμον καταλαμβάνεται, ὅταν « ἀγνοῆται μὲν ἡ αἰτία, τήρησίς τε μηδεμία ὑπαρχῇ [1]. » Propterea non quidem omnem ratiocinandi modum e medicina tollebant, ut sæpe dictum est; sed in locum *analogismi epilogismum* substituebant. Nec de vocabulis tantum est controversia, sed de omni methodo : « Ita autem et ratio empirica a ratione dog« matica differt in eo quod illa quidem evidentium « rerum est, illa autem immanifestarum [2]. » Dogmaticis Empirici concedunt fieri non posse ut omnia observentur, atque a cognitis ad incognita transire necesse esse confitentur. At eam transitionem rerum apparentium per rationem effici dicunt : « τῶν φαινομέ« νων λόγον εἶναί φασι [3]. » Epilogismus utilis est ad inveniendas res nondum proditas, ad redarguendos eos qui aliquid contra rerum evidentiam affirmant, et ad solvenda captiosa sophismata, quia nunquam a rebus manifestis discedit, et in eis nititur : « μηδα« μοῦ τῶν ἐναργῶν ἀφιστάμενος, ἀλλ᾽ ἐν τούτοις ἀεὶ

1. Galen., *De opt. sect.*, c. x.
2. *Subfig. empir.*, c. VII, p. 48.
3. *De opt. sect.*, c. v (cf. *Subfig. empir.*, pp. 49, 53).

« διατρίβων [1]. » Epilogismus experientiam præparat, at sine ea nihil efficit. Quæ evenire poterunt prævidet, at experientia sola quæ reipsa sunt videt. « Dicit autem Menodotus non esse verum judicato- « rium transitionem similis, sed possibilis [2]. » Experientia denique supremum documentum esse debet. « Transitioni ad similia nondum credimus « ante tribicam experientiam tanquam veræ [3] », omnisque ratiocinatio, quæcumque est, nihil invenit per se ipsam, sed ad inventionem ducit : « ἅπασα « δ' ἡ τοιαύτη μετάβασις ὁδὸς μὲν ἐστιν ἐπὶ τὴν εὕρε- « σιν, εὕρεσις δ' οὐδέπω πρὸ τῆς πείρας [4]. » Epilogismo igitur uti licet ; at analogismum fallacem et vanum esse ostendunt Empirici. A rebus enim profectus apparentibus, dicitur ab eis ad res in æternum abditas frustra tendere, a rebus evidentibus sine jure res haud evidentes concludere, atque incomprehensibilia adortus, in dissensiones et discordias incidere, quæ nullo modo componi possint [5]. Itaque, medicum in errorem analogismo induci necessarium esse declarant, quippe qui res petat quæ nec comprehendi nec expediri possint, epilogismum vero solam ad

1. Galen., *De opt. sect.*, c. V.
2. *Subfig. emp.*, c. VIII, p. 53.
3. *Ibid.*, p. 55.
4. Galen., *De sectis*, c. II.
5. Cf. *ibid.*, c. V.

veritatem viam esse, quia in sensibilibus rebus maneat, quæ per se evidentiam parare solitæ sint; discordiam de rebus occultis inenodabilem esse, non autem de rebus apparentibus [1].

Dogmaticæ medicinæ fundamenta ita subruebant Empirici, demonstrantes occultas causas cognosci non posse. Immo, contendebant etiamsi aliquo modo deprehendere eas liceret, illam investigationem irritam esse : « Sæpe etiam causas apparere, ut-« puta lippitudinis, vulneris, neque ex his patere « medicinam. Quod si scientiam hanc non subjiciat « evidens causa, multo minus eam posse subjicere « quæ in dubio est [2]. » Itaque, quanquam consentiebant rerum apparentium cognitionem necessariam esse, statim in studia contraria distrahebantur Dogmatici et Empirici, alii rerum causas analogismo quærentes, quo indicatio reperiretur, alii ab experientia nunquam discedentes, eamque semper ad epilogismi probationem adhibentes. Res enim eædem non idem Dogmatico et Empirico valent : alteri indicatio, alteri observatio ex eis suggeritur : « Ἀφ' ὧν δ' ἡ τοῦ συμφέροντος ἔνδειξις τοῖς δογματι-« κοῖς, ἀπὸ τούτων ἡ τήρησις τοῖς ἐμπειρικοῖς [3]. »

Levioris momenti præterea sunt differentiæ quæ

1. Cf. *De sectis*, ch. v.
2. Cels., Præf., p. 5.
3. *De sectis*, c. IV.

inde oriuntur : anatomiam enim non solum inutilem esse, sed fœdam et crudelem existimabant Empirici [1]; haud eodem modo atque Dogmatici definitionibus et demonstrationibus utebantur, quod infra explicabimus. At summa rei in qua controversia consistit causarum est indagatio, quas abditas esse et attingi per rationem Dogmatici affirmant, quas autem Empirici res apparentes sensibus esse, et per experientiam cognosci profitentur. Qua quidem diligentia et methodo certa observandi præcepta posuerint et experientiam ad scientiam legitimam propriis artibus reduxerint ostendere jamjam opus est.

1. Cf. Cels., Præf., p. 7. — Galen., *De sectis*, c. v.

CAPUT II

De methodo Empirica ejusque partibus.

Medicina quin ab originibus non ratione sed usu reperta fuerit nemini unquam in dubio fuit, omnesque consentiunt « diligentes homines notasse quæ « plerumque melius responderent, deinde ægrotan- « tibus ea præcipere cœpisse; sic medicinam ortam [1] ». Qua nunc via progredi debeat eam ipsam medicæ artis originem edocere affirmant Empirici : oportere eam dicunt eadem methodo proficere qua primum inceperit.

At observatio ista, quæ inter initia incomposita erat, multis experimentis edocta, *tribica*, id est erudita, esse potest [2], et per gradus certos ab ignorantia ad scientiam ducere mentem. Primæ enim observationes, ἀπὸ ταὐτομάτου factæ, seu a fortuna seu a natura evenerunt, animadvertentibus hominibus multos morbos sponte sanari. Contigit ut ægrotanti cuidam sanguinis profluvio aut sudore aut ventris fluxu

1. Cels , Præf., p. 5.
2. Galen., *Subfig. emp.*, c. II, p. 37.

curatio allata sit, sine apparente causa [1]. Aliquis interdum capite laborans temere decidit, et sanguine effuso e vulnere levatus est dolor; causa quidem manifesta est, at sine ulla humana ope [2]. Alteram experientiam naturalem, alteram fortuitam vocant Empirici; utraque autem tantummodo primus rerum conspectus est, felici casu oblatus, necessarium scientiæ initium, sed nondum ipsa scientia (« τὴν πρώτην θέαν περίπτωσιν ὠνόμαζον ἀπὸ τοῦ περιπίπτειν ἀβουλήτως [3] »).

Præstantior jam est experientia si quis ex industria remedium quoddam ultro experitur seu aliquo consilio excogitatum, seu etiam per somnia sibi subjectum [4]. Quæ quidem experientia improvisa (τὸ δ'αὐτοσχεδίον εἶδος τῆς ἐμπειρίας) [5] nonnihil novum et utile quandoque reperire potest, sed etiam fortuito. Tertia experimenti species imitatrix est (εἶδος μιμητικόν) [6], si quis salubria aut noxia vel a natura vel a fortuna facta postquam observavit, consulto periclitatur. Qua autem in experientia duæ sunt par-

1. *De sectis*, c. II.

2. Galen., *Subfig. emp.*, c. II, p. 36.

3. *De sectis*, c. II.

4. Cf. Galen., *Meth. med.*, l. 7, c. I et l. 14, c. VIII, ubi narrat Galenus se ipsum ægrotantem a deo quodam per somnia admonitum esse de remedio.

5. *De sectis*, c. II.

6. *Ibid.*

tes : altera contemplatrix, altera efficiens. De hac Empirici pauca præcepta dederunt, nec multa apud eos certorum experimentorum exempla reperiuntur. De illa vero subtilem ediderunt præceptionem, ac sedulo indicaverunt quam diligenter præcavendum sit ne in observandis rebus error irrepat.

Primum, ut inquiunt, necesse est non semel aut bis rem explorare, sed sæpenumero inquirere quid ex eisdem remediis efficiatur [1]. Quatuor autem differentiæ in ea investigatione notandæ sunt : iidem enim effectus aut semper, aut plerumque, aut pariter, aut raro eveniunt ; « *semper* quidem ut in cordis plaga« tione mortem ; *ut plurimum* vero ut in scamonea « purgationem ; *secundum utrumlibet* autem ut in « grossæ miringæ plagatione mortem ; *raro* autem « ut in plagatione cerebri salutem [2] ». Diligens empiricus ea omnia internoscit numeratque, et ejus experientia, τριβική facta [3], fortuitæ vulgi experientiæ jam præstat. « Empiriam autem dicimus notitiam « eorum quæ ita multotiens apparuerunt ut jam « theorematica sit, id est ut sciatur utrum semper « aut ut plurimum aut secundum utrumlibet aut « raro evenerunt. Quatuor enim sunt hæ theorema-

1. *De sectis*, ch. II.
2. *Subfig. emp.*, c. VI, p. 46.
3. *De sectis*. c. II.

« ticæ differentiæ [1]. » Nonnunquam etiam conjectam causam prævisus effectus non sequitur. Omnibus his perspectis et annumeratis, quid in re quadam certum, quid probabile sit, quid denique fieri nequeat præcognoscit medicus, ac vere empiricus dici potest. His autem neglectis, nihil in experientia proficit. « Ea vero de quibus non habemus talem distinctio« nem inordinata dicimus, et notitiam quæ de eis « non esse penitus partem empiriæ [2]. »

Quantum Alexandrini Empirici veteribus istis medicis præstiterint a quibus primæ olim observationes factæ erant, facile nunc æstimare est. Dummodo enim ab eis nulla experientiæ certa condicio prætermissa sit, theoremata universa conscribi licet, medicinaque in inconcussis fundamentis posita, indubitatis observationibus paulatim augetur. Nam non singulis rebus observatis, sed generalibus theorematibus scientia conficitur; « et dicemus theorema esse rei « alicujus visæ multotiens notitiam simul cum dis« tinguendo eventum qui est secundum contra« rium [3]. » Quæ quidem theoremata esse universa et stabilia medicinæ principia Dogmatici velut Empirici professi sunt : « Ἐστὶ δὲ πᾶν θεώρημα « καθολικόν τε καὶ βέβαιον [4] ». Alii autem existimant

1. *Subf. emp.*, c. II. p. 37.
2. *Ibid.*, p. 38.
3. *Ibid.*, p. 37.
4. *De opt. sect.*, c. II, fin.

res nonnullas, quas sensus assequi non possint, certa nihilominus demonstratione probari, atque theoremata nonnunquam de rebus immanifestis constitui posse, congruentia quadam cum rebus de quibus inter omnes conveniat : « τῶν δὲ δι᾽ ἀποδείξεως « καταλαμβανομένων ἐπίκρισις ἡ πρὸς τὰ ὁμολογούμενα συμφωνία. » [1] Nihil contra apud alios valet nisi manifestarum rerum observatio : « Empirici solis « quidem credunt eis quæ sunt ad sensum evidentia ;..... hæc enim servanda sunt nobis scilicet nihil « unquam enuntiare ex assecutione logica sed ex « evidenti semper observatione et memoria [2]. » Observatio igitur principium est scientiæ, eis condicionibus ut absoluta sit et diligens, nec quidquam prætereatur aut addatur, et numerus et mensura intercedant. Dissidet ab ista inductione « per enu« merationem simplicem » qua usos esse plerosque antiquos medicos philosophosque reprehendit Baco, et unde nihil certum universumve concludi potest [3].

Nulla est fluxorum scientia, ut postea dictum est. Serium igitur doctumque medicum oportet id sibi proponere ut primum in distincta genera infinitas morborum species distribuat. Vetustissimi quidem Empirici contenti erant si quid in casu quodam utile

1. Galen., *De op. sect.*, c. II.
2. *Subfig. emp.*, c. VII, p. 49.
3. Cf. Brochard, *op. cit.*, et *Les sceptiques grecs*, p. 310 sqq.

benigna fortuna præbuerat, aliaque neglegebant. At Alexandrini Empirici, quibus medicina non remediorum compilatio videtur esse, sed constituta scientia quæ a præteritis futura jure præsagire possit, non solum utilia sed et inutilia animadvertunt, ut, his ad summum amotis, illa dilucidiora cernantur. Rei enim cuilibet apparenti primum inenodabilis confusio inest, per quam prior observatio discernere nequit quod maximi, quod minimi sit momenti, nec ullum medicina profectum haberet si omnia iterum atque iterum observanda essent. Sed « in longo tempore « usque nunc multis permulta observantibus inventa « sunt multa frustra esse observata, et propter hanc « causam historia est nunc utilissima sicut prius per « se inspectio [1] ». Nihil difficilius est medico quam primo adspectu morbum dinoscere quis sit, ejusque animadversio per omnia ægrutidinis signa sine discrimine dispergitur. Mox autem, sua ipsius experientia admonitus, gravissima symptomata eligit, aliaque prætermittit. Quid enim interest, ut a Galeno sumantur exempla, utrum mensa eburnea sit an lignea, collum aureum an argenteum [2] ? At frequentibus experimentis inventum est morborum symptomata non fortuita aut confusa aut separata esse, sed inter se sæpius concurrere. Quos concursus observatione

1. *Subfig. emp.*, c. VI, p. 43.
2. *Ibid.*, p. 44.

frequenter notatos describere et in classes distribuere necessarium est. Simplex est symptoma, ut lateris dolor, tussis aut sputum sanguineum, multiplex autem morbus, et symptomatum aggregatio. « Suffi-« ciet..... symptoma quidem simpliciter nominari « unum aliquod eorum quæ præter naturam, pas-« sionem vero et ægritudinem concursum qui ex « his [1]. » Unicuique signorum concursui proprium nomen inditum est, atque ita omnium morborum universa partitio effici potest.

Empirici ergo, sicut Dogmatici, supra singularem experientiam assurgere conantur, profitenturque, vel tacite, aliquid esse quod sensus non percipiant. Ægrotantes enim videre est, non morbos ; singulum quodque signum sensibus percipi, concursus vero mente concipi videtur. Attamen, summum de ea re discrimen est inter utrosque. Symptomatum eadem copulatio Dogmatico indicationem causæ præbet, per quam remedia adhibeat; Empiricum memorem esse cogit rerum sæpe eodem modo observatarum [2]. Quid constans in concursu (τὰ συμβαίνοντα), quid fortuitum sit (τὰ συνεδρεύοντα) observatione et memoria, nunquam ratione invenitur, ac proprium a communi « per evidentes cognitiones » secernitur. Quod si ab Empirico quæris quomodo fiat hæc distinctio,

1. *Subfig. emp.*, c. VI, p. 45.
2. Galen., *De sectis*, c. IV.

respondebit se diligenter observare et recordari « quid cum quo et quid post quod et quid ante « quod [1] ». Morbus quisque ita constanti symptomatum concursu definitus aliquid habet proprium quo ab aliis morbis distinguitur. Libentius autem Empirici descriptionibus quam definitionibus utuntur, ut melius dissimilitudinem inter suam et Dogmaticorum methodum ostendant. Empirica definitio rei cujusdam ex his qui evidenter insunt ei educitur, et partes enumerat; dogmatica vero abditam rei causam explicat, summamque complectitur. Eadem est differentia de demonstratione. Non quidem omnem demonstrationem rejiciunt Empirici, sed nihil aliud est apud eos demonstrare quam res antea sæpe observatas memoria repetere et prævidere futura præteritis similia fore. « Non solum autem definitionibus et superdeterminationibus ab evidenti« bus utitur empiricus sed etiam redditionibus cau« sarum et demonstrationibus ex evidenter præ« cognitis sensu [2]. »

Quum vero ars longa sit, vita autem brevis, parum proficeret unus homo si nihil amplius scire posset quam quod ipse observavit. Præterea, omnia a superioribus inventa inutilia essent, nisi eorum experimenta in libris collecta communem medicinæ fun-

1. *Subfig.*, *emp.*, c. VI, p. 46.
2. *Ibid.*, p. 49.

dum gradatim adaugerent. Oportet igitur unumquemque virum ad libros accedere, ut ex eis utilitate capta suam ipsius experientiam augeat. Itaque historia ad scientiam magnopere pertinet. At permulta sunt in libris enarrata quibus haud inconsulte fides adhibenda est, et necessarium est diligentius inspicere utrum vera an probabilia an falsa referat historia. Empirici, consuetudinem suam in ea re secuti, historiæ fidem experimento quam tutissime probari volunt : « Si enim hoc invenerimus ab aliquo scri-« ptum in libro de his quibus per se inspectionem « habemus, veram esse dicemus historiam [1]. »

At enim male et nequicquam hæc probatio excogitata est. Quid prodest in libris inquirere ea quæ per se observari possunt? Si omnia experiendo approbanda sunt, omnino supervacanea fit historia, experientiaque sola omnis cognitionis origo videtur esse. Itaque aliam historiæ veræ notam admittunt Empirici, id est auctorum concordantiam : « Utilissi-« mum vero simul et verius judicatorium historiæ « est concordantia [2]. » Aliquid affirmantibus confidere licet scriptoribus, dummodo inter se congruant ; cæterum, eo major est verisimilitudo quod plures testes eamdem rem eodem modo referunt, et quod eis plus est ponderis gravitatisque. Magis credendum

1. *Subfig. emp.*, c.VIII, p. 51.
2. *Ibid.*, p. 52.

est Hippocrati, « expertissimo et amico veritatis » quam Andreæ « multum in experientia deficienti ab « Hippocratis scientia [1] ». Quo pacto, non necesse est omnes scriptorum narrationes experiendo approbari, et historia absque experimentis vera æstimabitur, ea lege ut adhibeantur graves testes, inter quos de re conveniat. Remedia potest proponere medicus priusquam eorum vires ipse expertus sit; doctior exercitatiorque fit non solum ægrotantes observando, sed etiam libros legendo, atque eruditione adjuvatur experientia.

At ea historiæ auctoritas solum in rebus sensibilibus valet; de immanifestis nullus est testis, nulla cognitio. Immo, Empiricus immanifesta negat, nec unquam verisimilitudinem e natura rei cujusdam æstimat. « Si igitur dixerit aliquis sicut ab observa- « tione signum esse concordiam veræ historiæ, « empiricam faciet judicationem; si vero ab ipsa « natura rei logicam [2]. » Credit enim Empiricus, quanquam ipse non vidit, Cretam, Siciliam vel Sardiniam insulas esse [3]. Credit, ut exemplo quodam utar, « ventrem a mace retineri [4] », quanquam ipse non expertus est, quoniam hæc a superioribus jam notata

1. *Subfig. emp.*, c. VIII, p. 53.
2. *Ibid.*
3. *De opt. sect.*, c. XIV.
4. *Subfig. emp.*, c. VIII, p. 52.

et observata sunt; non autem ultra procedit, ac libenter cum M. Tullio dicit : « Quid scammonea « radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus « serpentum possit,..... rem ipsam video, quod satis « est; cur possit, nescio [1]. » Dogmaticus vero causam invenire ejusque rationem reddere conatur. Alter ex auctoritate et concordantia testium historiæ confidit et epilogistico sermone utitur, alter usurpans analogismum de testibus judicat e natura rei quam a se cognitam esse existimat. In historia denique pensitanda sicut in cæteris rebus alter observationi, alter rationi fidem tribuit; nam quotiescumque Empiricus aliquid in incerto habet, observatione sola dubitationem eximit, sine ulla logica probatione. « Nobis necessarium est non credere simpli- « citer omnibus quæ ab anterioribus scripta sunt, « sed probando prius ipsa uti eis [2]. »

Inspectio igitur per se (ἡ αὐτοψία) præsentia, historia præterita docet, et utraque medicus usus utilia ad morbum quemque remedia aptat, dummodo is morbus jam a se aut ab aliis observatus sit. Fieri tamen potest ut nec observatio nec historia præsto sit, si quid forte insolitum aut inauditum accidit. Itaque necesse est, si is casus inciderit, aliam viam inire, remque novam comparare cum cognitis rebus qui-

1. Cic., *De divinat.*, l. I, c. X.
2. *Subfig. emp.*, c. VII, p. 50.

buscum similitudo quædam esse videtur. Hanc collationem, qua completur tota methodus, Empirici « transitionem similis [1] » nuncupare solent (τὴν τοῦ ὁμοίου μετάβασιν) [2]. Pluribus modis fit ea transitio, nam plura in rebus similia deprehenduntur. Consimilibus enim morbis eadem remedia expediunt,« ut « in diarrhœa et dysenteria ». Consimilibus corporis partibus eamdem curationem admovere est, « ut« puta in coxa et ulna et crure et brachio et pede et extrema manu ». Consimilia denique remedia idem valent, « ut mespili et cydonii [3] ». Quare a morbo ad alium morbum, a parte ad aliam partem, a remedio ad aliud remedium transire licet. At, quamcumque transitionis speciem adhibet Empiricus, non jam sensu, sed ratione utitur, fateturque ipse non certum, sed verisimile aut probabile transitione indicari [4]. Itaque, exercitatum in medicina oportet esse, si quis aliquid ea via reperire voluerit : « χρὴ τετρῖφθαι κατὰ τὴν τέχνην τὸν μέλλοντά τι « οὕτως εὑρήσειν [5]. » Quivis enim inspicere per se potest, diligenter autem præcavendum est in insumenda transitione.

Similis quidem transitionem non solum Empirici,

1. *Subfig. emp.*, c. IX, tit.
2. *De sectis*, c. II.
3. *Subfig. emp.*, c. IX, p. 54.
4. *Ibid.*, p. 53.
5. *De sectis*, c. II.

sed Methodici et Dogmatici atque omnes etiam sectæ legitimam esse censuerunt, sed alio modo alii ea utuntur. Dogmaticus enim, determinato primum symptomatum concursu quo morbus definitur, ex ea definitione indicationem causarum simul atque remediorum concludit. Utilia a negligendis in concursu secernit, existimatque se non adversus symptomata sed adversus symptomatum causas acturum. « Ὁ μὲν « οὖν λογικὸς καταλαμβάνει ἕκαστον τῶν ἐναντιουμέ- « νων τοῖς νοσοποιοῖς αἰτίοις βοηθημάτων [1]. » Atqui hæ causæ, ut supra explicavimus, reconditæ sunt, perque rationem excogitatæ. Credunt Dogmatici abditam quamdam affinitatem esse inter causam et effectum, illaque hunc occulta et inevitabili necessitate allici. Ratus eumdem constantem in rebus ordinem esse quam in mente, pro jure rationalis principii ad similia transit, quod principium non experientia cognitum sed animo insitum esse putat. Itaque transitio apud Dogmaticos nihil aut parum differt a τῇ ἐπαγωγῇ Aristotelis aut a Baconis inductione quæ, universa lege mentis innixa, transit « non ab « experimentis ad experimenta, sed ab experimentis « ad axiomata, quæ et ipsa nova experimenta desi- « gnent [2] ».

1. Galen., *De opt. sect.*, c. XVIII.

2. Bac. *De augm.*, l. 5, c. II.— Aristotelica quidem inductio differt a Baconiana eo quod illa perfecta est enumeratio quæ de eodem ad idem

Nihil tale est apud Empiricos. « Empirica vero ea « quæ a natura cognita sunt sequitur, non quia sua- « sibile est simile alicujus similis esse factivum aut « indigere similibus aut pati similiter, non propter « id aut quid tale aliud deposcunt transire, sed quia « experti sumus similia sic habere [1]. » Nullum rationis principium eos in fiduciam adducit ut aliquid certum per transitionem inveniri possit, eaque tantummodo utuntur si forte inspectio et historia defuerint, non in loco experimenti, sed ut nova experimenta suggerantur. Si nullum in inaudito quodam morbo compertum remedium eis occurrit, similia tentant, quia experti sunt similia sæpe successisse. Nunquam vero ante eventum asseverare audent quid contigerit. Transitio exercitatum in arte virum ducere potest ad inventionem, sed non per se ipsam aliquid invenire, semperque de eventu ante experimentum ambigitur. Ut aliquid pro certo affirmetur, necesse est transitionem experientia approbari [2]. « Ad tribicam id est eruditam experien- « tiam nos ducit, non quod certitudinaliter est « verum, sed possibilis inventionem promittens [3]. »

transit, hæc vero imperfecta enumeratio quæ de quibusdam ad omnia concludit. Utrique tamen hoc est commune quod rationi et universo principio innititur.

1. *Subfig. emp.*, c. IX, p. 54.
2. Cf. *De sectis*, c. II.
3. *Subfig. emp.*, c. IX, p. 55.

Minor etiam fides adhibenda est transitioni quam historiæ. Plerumque equidem prudenti medico inspicienda est verane sit historia ; attamen, nonnunquam fieri potest ut, gravissimis auctoribus inter se consentientibus, narrationi confidendum sit, etiam re non explorata. Nunquam autem transitioni ad similia ante experimentum credendum est, et ex ea non vera sed verisimilia discimus. Itaque, ut similitudinis ita probabilitatis plures sunt gradus, majorque vel minor fiducia est Empirico fore ut spes sua ad effectum veniat. Primum enim res inter se de figura, mollitie et duritie consimiles esse possunt, deinde de odore *aut* gustu, denique de odore *et* gustu. Figuræ quidem et soliditatis similitudo parum ad transitionem valet, magis vero odoris aut gustus, multum si uterque collatus erit, plurimum etiam si color et figura adfuerint. Quotiescumque duabus in rebus aut partibus hæc similia notantur, easdem proprietates eis fore sperare licet, medicusque sibi concessum putat ut alteram pro altera usurpet.

Cæterum, major fit verisimilitudo si quid forte refert historia et multa in eo similia deprehenduntur; tanta etiam fit ut in sanando perinde tanquam experientia valeat. « Manifestum autem est quoniam « et fidem possibilis præbebit hoc, et fortassis aliquis « audebit in ipso et ante tribicam experientiam con-

« fidere [1]. » At, quanquam probabilitas quæ est de historia et de similis transitione ad infinitum augeri potest, attamen, quod ad methodum attinet, semper ad experientiam omnia revocanda sunt, eaque sola affertur veritatis indubitata probatio.

1. *Subfig. emp.*, c. IX, p. 57.

CAPUT III

Quid in Empiricorum methodo laudandum, quid reprehendendum sit.

Non equidem prima specie apparet magnam in medicina commutationem ab Empiricis factam esse; nam omnes eorum methodi partes jamdudum commendatæ erant. Rerum observationem multum proficere, historiam et transitionem similis ad artis progressionem adjuvare, medicinam denique e certis theorematibus constare omnes inter sectas semper convenit [1]. Hoc tamen Empiricorum proprium est omnia ad observationem id est ad sensus memoriamque retulisse. Aliæ quidem sectæ experientia utebantur, sed tanquam initio quodam a quo profectæ per sublimiores vias progrederentur. Experientiam ratione approbabant et interpretabantur, solique rationi ædificandæ scientiæ jus attribuere solebant. Empirici vero res e contrario considerant. Experientia enim eis non solum initium, sed tota

1. Cf. *De opt. sect.*, c. VII.

scientia videtur esse. Quidquid historia refertur aut transitione similis excogitatur nihil comperti habet apud eos eo usque donec experimento confirmatum sit. Non quidem profitentur, ut sæpe eis falso exprobratum est, omnem rationis usum rejiciendum esse, quo quid dici potest absurdius? Sed non ei omnes partes tribuunt. Ratiocinanti viro ad verisimilia aut probabilia, observanti autem ad vera certaque accedere fas esse affirmant. Accuratius quam ulli inter veteres medicos philosophosve ostenderunt quibus curis opus sit ne observatio falsa, ne transitio inconsulta fuerit. Non tamen hoc præsertim merito commendabiles esse meruerunt.

Cuivis enim licet diligentiam in usu, prudentiam in inductionibus præcipere aut affectare. Id Empiricis præcipuæ laudi esse debet quod medicinam jam aversam a vanis conjectionibus per quas diversæ et contrariæ sectæ eam temere deduxerant in rectam viam regere conati sunt, rebus ipsis jura propria restituendo. Quo tractu regendas esse disciplinas omnes quæ non mentis cogitationibus sed rebus inspiciendis incumbunt nunc demonstrare supervacaneum est. Omnia enim mirabilia quæ in investiganda natura recentior ætas repperit etiamnum tenebris obvoluta essent nisi nostræ memoriæ docti homines res sub eumdem adspectum atque Empirici subjecissent, eadem methodo usi cujus olim Menodotus ejusque

æquales tam sedulo partes descripserant ut ne nostris quidem temporibus aliquid subtilius præscriptum fuisse videatur. Qua quidem in methodo permulta præsens ætas meliora fecit : experimenta enim observationibus in studiis quæ ad vivos pertinent adjecta sunt ; artificiosa inventa sunt instrumenta quibus subtilitas et acumen sensuum quasi infinite aucta sunt. At ab eodem principio methodus Empiricorum ac nostra manant quo res primum ordine et via investigentur. Si enim res a quibus inductio proficiscitur falsæ aut male probatæ fuerint, omne per rationem frustra constitutum ædificium concidet [1].

At enim, prima quidem specie, Empirici majore studio incubuisse videntur ad observationes quam ad ea quæ proprie experimenta vocari possunt. Intenta enim cura ab eis præcautum est ne quid falsum pro vero affirmatum sit. At eis objici potest istam experientiam quæ per observationes paulatim collectas efficitur inertem semper et otiosam manere, quippe quæ res inspiciat, non autem consilio mutet. Fatendum est equidem pauca aut nulla experimenta in libris qui de Empiricis tractaverunt commemorata esse quæ liceat cum illis experimentis comparare per quæ apud nos tota physiologia renovata est. Attamen, quanquam paucæ res novæ aut utiles ab eis

1. Cf., Bac., *De augm.*, l. 5, c. II. — Cl. Bernard, *Introd. à l'ét. de la méd. expérim.*, p. 25.

repertæ sunt, subtiliter discrevisse videntur qua methodo non solum observationes, sed etiam experimenta tentanda sint.

Posteaquam quidem Baco experimenti diversos modos tam sedulo indicavit ut posteri, quasi filo deducti, ejus vestigiis semper institerint, nec ab eo vel mediocriter decedere ausi sint, angustius apud nos hoc vocabulum valuit. Eam enim « *venationem Pa-* « *nis* » plerique existimaverunt nullo pacto ab observatione differre, nisi, humana ope interposita, vir rebus sese immiscuerit ut eas ad arbitrium suum inflectat. At ista Baconianæ doctrinæ interpretatio adeo restricta est ut, si eam ad litteram admittere velis, experimenta excludi necesse fuerit e multis disciplinis in quibus res a natura supra nostrum interventum collocatæ sunt. Itaque, ut exemplis quibusdam utar, inter omnes convenit experimenta in astronomia, in anatomia, in ea historia naturali quæ animalia describit adhiberi non posse, atque nostris etiam temporibus in dubium vocatum est num in physiologiam, id est in scientiam quæ vivorum corporum actionibus studet, merito inducantur. Quod optimo jure fieri posse Cl. Bernard aliique præstantissimi viri demonstratione et exemplis ostenderunt. Sed, tamdiu dum aliquid proprium occultumve vitæ muneribus inesse creditum est quod incolumi ipsa vita vel minime immutari nequeat, nulla utilitas physio-

logiæ medicinæque experimentis afferri posse existimabatur. Male igitur crimini datur Empiricis quod parum medicinæ copiam experimentis suis auxerunt. Id autem in eorum laude ponendum est optime methodi lineamenta descripsisse, quæ postea tantum increvit.

Non enim physico licet vim rebus imponere, ita ut aliquid contra leges vel sine legibus naturæ fiat. Si verum fateri volumus, nihil homo sua ipsius voluntate efficit aut tollit. Non equidem res mutat, sed temporum locorumque condiciones in quibus res apparent; ac, aliis ex illis condicionibus de industria admotis, aliis autem diductis, permulta rerum discrimina eveniunt, novæque res suscitari videntur. Quæ vero condiciones non præsentibus tantum rebus inhærent, nec solis sensibus deprehenduntur. Ratio persæpe eas concipere potest re etiam absente, atque, dummodo actionis cujusdam condiciones mente mutari possint, experimentum non solum ad præsentia et propinqua, sed etiam ad remota et præterita accommodatur. In omnibus igitur methodus adhiberi potest disciplinis quæ a composito ad simplicia et ab effectibus ad causas transeuntes, rei cujusquam naturalis causam inductione investigant. Eamque transitionem, in qua omnis experientiæ methodus consistit, non per sensus sed per rationem effici permulta demonstrant exempla.

Non enim opus est, ut experiaris, oculis, manibus, auribus, instrumentis artificiose compositis uti. Mens sola, sine ulla externa ope, experitur quotiescumque hypothesim quamdam antea conceptam rebus diligenter collatis inspicit verane an falsa sit. Historiæ utputa leges aut cœlestium conversionum condiciones experimento quodam inveniri possunt.

Id ipsum valde intellexerat Menodotus, dum affirmabat scientiam parari non multis experimentis, sed inductione aliqua primum mente excogitata, ac deinde experimento probata. « Eos qui irratio-« nalem eruditionem pertractant nominat Meno-« dotus tribacas;..... quocirca tribonem quidem « dices eum qui est perfectus in exercitatione et qui « didicit attritam theoriam, tribonicum verum eum « qui irrationabiliter tangit artem [1]. » Duo igitur sunt in experimento momenta : alterum per quod ratio a rebus jam observatis hypothesim inducit ut novæ res explicentur; alterum per quod sensus aut ratio diligenter ad res applicati, ejus veritatem approbant. Ratio denique magni momenti est in ipsa experientia, quod propriis verbis fatetur ipse Menodotus. « Non enim putant judicare veritatem quæ « est in eis, sufficere credentes sensum evidentem et « memoriam ad omnium constitutionem. Sed

1. *Subfig. emp.*, c. VII, p. 50.

« necessarium est præsupponere in nobis aliquam « virtutem considerativam et judicativam repugnan« tis et assequentis [1]. » Quæ quum ita sint, non tantum otiosam rerum observationem aut meram veterum empiricorum experientiam Alexandrini medici commendaverunt, sed methodum ipsam præsensisse videntur quæ nostra ætate fere ad summum perducta est.

Attamen, nihil egregium in arte medica ab eis repertum esse videtur, etiam a gravissimis scriptoribus qui institutionem suam tam erudite exposuerunt. Præterea, secta cito senuit et in deterius illapsa est. Quomodo fieri potuerit ut inops et mox corrupta fuerit doctrina tam in initio commendabilis breviter inquirere operæ pretium est.

Primum hominibus temporibusque nonnihil culpæ fuit. Plerique enim Empirici, proniores ad inquirenda vel conficienda nova remedia quam ad studendum condicionibus morborum, magis magisque prudentiam Menodoti obliti, paulatim pharmacopolæ circulatoresque facti sunt quorum nomina in meritam posterorum contemptionem adducta sunt. Cæterum, ætas qua vitam degebant parum opportuna erat studiis quibus nulla præsens utilitas esse videbatur. Jamdudum abierat tempus quo summi philosophi,

1. *Subfig. empir.*, c. XII, p. 66.

diversas disciplinas statuentes, vehementer dogmata disputabant quibus, supra res sensibiles evecti, gravissimos de Deo, mundo et anima locos tractare soliti erant. Quum condita est Empiricorum secta, tam turbidæ res erant et inquieta tempora, ut, omni speculatione quasi prætermissa, plerique ad partem philosophiæ moralem confugerint, et ab ea nihil nisi tranquillitatem animi petiverint. Epicurei, Stoici, Sceptici aliique philosophi certatim discipulis suis placidam mentis quietem pollicebantur quam ἡσυχίαν, ἐποχήν, ἀταραξίαν nuncupabant. Empirici quidem se esse utilissimos hominum asserebant, quippe qui nihil aliud quam morborum curationem in medicina quærerent. « Ego quidem aio empiricum qui custodit « firmiter suam hæresin respondere illi qui proposuit hoc problema ita : (quæ sit finis medicativæ) « omnia quæ sunt præter naturam in corpore conor « curare et ostendere per opera promissionem [1]. » Ea vero utilitas ipsa dubia incertaque erat, nec apparebat plures ægrotantes ab eis curari quam a Dogmaticis Methodicisve. Itaque nec homines nec tempora accrescendæ eorum auctoritati aderant. Graviores autem sunt causæ, non jam externæ, sed methodo ipsi insitæ, ob quas manifesto intellegi potest cur Empirici minus prosperos exitus consecuti sint.

1. *Subfig. emp.*, c. XI, p. 61.

Multa enim tribus methodi partibus objici possunt quæ Galenus in breve coegit, quanquam nullum odium conceperat in Empiricos, in quorum præceptis se ipsum eruditum esse fatebatur [1].

Optime primum demonstravit eos in ambiguitatem incidere dum ab observationibus rationem arcere volunt. Declarant enim omnia observari non posse, atque permultas inter res quæ confuse et simul occurrant, eas tantum eligendas ad observationem esse quæ gravioris momenti sint. At, ut inquit jure Galenus, res omnes pro sensibus sunt pares, et quotiescumque alia alii præstare videtur, non ab experientia sed a ratione hanc præstantiam adipiscitur. Propterea optime a doctis, male a vulgo res observari solent. Ut in concursu quodam habeatur delectus rerum quas « prærogativas instantiarum » nuncupat Baco, opus est ut ratio alias utilissimas desumat, alias negligendas amoveat. « Εἰ δὲ μὴ πάντα ἐστὶ χρή-
« σιμα, ἀνάγκη τοῦ φαίνεσθαι πλέον τι τὰ χρήσιμα
« ἔχειν, ὅπερ οὐκ αἰσθήσεώς ἐστι καταλαμβάνειν, ἀλλὰ
« λόγου [2]. » Experientia igitur erudita nihil a vulgari differt, nisi quod utilitatis notitiam e ratione ducit.

Quam quidem utilitatem non ratione sed prioribus observationibus cognitam esse contendunt Empirici. At nunquam fieri posse affirmat Galenus ut

1. Galen., *De loc. aff.*, l. 3, c. III.
2. Id., *De opt. sect.*, c. IX.

aliqui concursus omnino æquales observentur, in quibus symptomata sint similia specie, paria numero et magnitudine, eodem ordine disposita; quæ omnes condiciones non solum apud multos ægros, sed ne quidem apud duos conjunctæ esse nequeunt. Semper rebus inest aliquid mutationis aut discriminis; itaque infinitæ essent observationes, nec in ulla memoria contineri possent, si solæ per se innumerabiles rerum distinctiones notari deberent. Oportet igitur Empiricos non, ut facete Galenus ait, ducere sortes [1], sed « venatica subodoratione » Baconis in symptomatibus eligendis uti. Quæ vero unicuique medico sollertiam quamdam, nullum autem toti scientiæ incrementum afferre potest. Necesse ergo est, si experientia vere τριβική esse debuerit, rationem ab Empiricis vel invitis adhiberi; sin aliter, experientiam singularem ideoque inutilem fore.

Eos quoque de historia confutat Galenus. Quam quidem, ut supra diximus, assumunt quotiescumque nondum ipsi aliquem morbum observaverunt, atque etiam ut ars brevius edoceatur. At historiæ paululum aut nihil auctoritatis est, nam, quia de re eadem persæpe multæ contrariæ opiniones latæ sunt, certissimum signum inveniendum est quo indubitate vera a falsis discernantur. Quod autem criterium quia a ratione sumi nolunt Empirici, necesse erit ut omnes

1. *De opt. sect.*, c. XII.

historiæ experimento probentur. Quid igitur proderit historia? Profitentur quidem sese historiam æstimare e scriptorum auctoritate et concordantia. At testis etiam veritatis amicissimus forsitan erravit. Deinde quomodo ejus fides perpendi potest? Philosophi enim est, non medici, de alicujus moribus judicare (τὸ δὲ κρίνειν τὰ ἤθη οὐ τῶν ἰατρῶν, ἀλλὰ τῶν φιλοσόφων ἐστὶν ἴδιον) [1]. Præterea, quod ad concordantiam attinet, auctoribus credimus affirmantibus Sardiniam Cretamve insulas esse quia eas facile circumire potuerunt; at medici fere de omnibus inter se discrepant; alii alio modo eamdem rem videre et enarrare solent. Itaque nunquam aut raro concordantia inter eos est, atque etiamsi forte consentiunt, aliud nihilominus criterium quærendum est quo dijudicetur historia utrum vera an falsa sit.

Objicit insuper Galenus Empiricos non legitimo more transitione similis uti. Dum enim a remedio quodam ad aliud remedium transeunt, similitudini manifestæ confidunt, similia e similibus evenire existimantes. At non fieri potest ut aliqua res ex omni parte rei alterius similitudinem referat : una enim et eadem res esset. Non igitur omnes qualitates, sed nonnullæ in communi sunt. Quot vero qualitates in

1. *De opt. sect.*, c. XIV.

utraque re deprehendi necesse est ut ab altera ad alteram transitio jure fiat? Si paucæ sufficiunt, re qualibet uti fas est, nam fere omnibus rebus nonnihil simile est. Sin autem multæ notandæ sunt, unde fit ut remedia quibus prima specie nullum quasi discrimen est non easdem vires habeant? « Cur in « iis qui sanguinem fundunt, dicemus, sicut coma « porri usi estis, ita non alii et cepæ coma utimini? « Similia enim hæc magna ex parte; et in pernioni« bus, cur, ut rapa, non etiam rappani radiculis? [1] » Eodem argumento demonstrat Galenus transitionem similis dubiam et incertam esse si non jam a remediis ad remedia, sed a signis ad signa, a morbis ad morbos aut a partibus ad partes transire volueris.

Sunt præterea nonnulla graviora quæ non jam parti cuique, sed toti methodo objiciuntur; quæ quidem Galenus non animadvertisse videtur, quæ vero nos, locupletioris scientiæ incrementis edocti, intelligere possumus.

Ut plerumque accidit quum doctrina quædam aliam doctrinam aggressa in ejus locum se ipsam supponere tentat, duas in Empiricorum disciplina partes discernere est, alteram qua adversarios suos lacessunt, altera qua certam suæ disciplinæ formulam instituunt. Illa quidem eis bene, hæc minus

1. *De opt. sect.*, c. XVII (trad. Kühn, v. 1, p. 123).

prospere successit. Quomodo causarum cognitio concipi debeat maxime inter eos et Dogmaticos in controversia erat et utrique erraverunt, alii immodice, alii non satis causas in rerum studio inquirentes. Jure meritoque Empirici Dogmaticos de causarum notione confutabant. Dogmatici enim credebant supra res sensibus perceptas aliquid occultum esse, ratione conceptum, quod causam appellabant. Fatebantur quidem nonnullas causas manifestas esse, et observatione notari ; sed alias sublimiores delitescentesque causas esse affirmabant, supra captum humanæ mentis collocatas, et quarum nulla ratio reddi possit. Quæ quidem opinio, cujus origo ad veteres philosophos referri potest, adeo apud Dogmaticos inveterata erat ut a nemine unquam eorum in dubium vocata sit. Immo, quia si primum inspectio rerum omissa fuerit nullus vanis subtilibusque mentis cogitationibus modus imponitur, unoquoque aliquid novum adjiciente, causarum notio omnino confusa obscuraque facta erat. Perennis disputationum fons inde oriebatur, medicinaque magis ac magis in dies per argutias dialecticæ elata, a via sua decesserat. Hoc in maxima laude Empiricorum ponendum est quod pertinaciter redarguerunt hunc errorem quo mora objiciebatur arti ne incresceret. Demonstraverunt enim causam nihil involuti habere quod contingere sensus nequeant et cum erraturum

esse qui causas aliâ via quam observatione cognoscere voluerit ; causas in rebus esse, non in mente ; atqui res sensu percipi, memoria conservari, non animo excogitari; si nobis ostendat experientia rem quamdam alteri rei constanter succedere, hanc illius esse causam, nec aliud ultra quærendum esse.

Nihil quidem opportunius esse poterat quam id Empiricorum inceptum medicos ad rerum inspectionem revocantium. Sed ut Dogmatici plus æquo rationi confidendo peccaverant, ita Empirici e contrario ultra modum progressi sunt, non solum nimiam fidem sensibus tribuendo, sed præsertim angustis experientiæ terminis scientiam circumscribendo. Diligenter res observaverunt, quod necessarium est; animadverterunt rem quamdam post alteram rem aut nunquam, aut raro, aut plerumque, aut semper evenire, quod optimum est. At non intellexerunt mentem experientia sola nunquam ad generales ideas erigi posse ; scientiam autem nullius esse momenti, immo nihil esse, nisi universa consequatur.

Connexiones frequentissimas esse inter aliquas res notaverant. Sed, quia profitebantur nullo unquam rationis principio se usos esse, quid juris habere poterant affirmandi illas res semper connectendas esse ? Sua ipsius natura experientia ad singularia recidit ; quotcumque sunt experimenta, quo

pacto habendum est pro certo nullum aliud experimentum a prioribus discrepaturum, nisi ratio adhibetur, per quam solam necessaria universaque concipiuntur? Quem nodum expedire frustra tentant Empirici : « Sicut autem, inquiunt, ex pluribus « empiriis componitur tota ars, ita rursus singula « hujusmodi empiriarum ex multis empiriis. Hoc « autem, scilicet ex quot, indeterminabile est et « subincidit in ambiguam rationem quam quidam « nominant soriticam [1]. » At nullum est ibi sophisma, nullus sorites. E sexcentis experimentis eventus quidem probabilis, non certus exspectari potest, ac multi imperitæ multitudinis errores, postea deinceps excussi, nullo in alio fundamento positi sunt. Uno autem ex experimento vir doctus nonnunquam prævidet sine ulla dubitatione quid futurum sit, dummodo a rebus manifestis profectus, earum causam legemque consecutus sit.

Male autem de causa legeque existimaverunt Empirici. Itaque methodus eorum imperfecta fuit, quippe quæ res explicare et prævidere certo non potuerit; obliti sunt scientiam sibi proponere non ut res apparentes cognoscat sed causas legesque quibus res indicio sunt et probationi. Causa equidem et lex a rebus educuntur; at ratio eis aliquid

1. *Subfig. emp.*, c. III, p. 38.

adjicit, scilicet notionem universi contextus quo effectus cum causis cohaerent. Nulla inductioni fiducia tribuenda est, nisi antea hoc pro certo admittitur immutabilem in natura ordinem esse, eosdemque effectus semper et necessario ex eisdem causis evadere. Atqui hæc universi et necessarii notitia sine qua scientia institui non potest non ab experientia sed a ratione oritur. Propterea, Alexandrinis Empiricis accidit quod semper contigit empiricis qui non quidem omnem ratiocinationem, sed omne rationale principium ex consulto amoverunt, ut in rebus apparentibus vel inviti consistentes, nihil universum statuere potuerint. Jure amovebant istam obscuram causarum cogitationem, extra res ipsas et quasi humanam mentem positam, quam Dogmatici fingebant, affirmabantque merito rei cujusdam corporeæ et manifestæ causam rem corpoream et manifestam esse. Non autem animadvertebant nihil amplius quam concursionem rerum sensibus et experientia deprehendi, eamque concursionem, etiam multis experimentis notatam, semper fortuitam esse et incertam, nisi necessariæ et universæ consecutionis notitiam ratio adjiciat.

At enim, Empirici supra singulos casus se ipsos erigentes, generalia theoremata conscripserunt, per quæ futurum præcognoscere voluerunt : « ... et « prædicens ea quæ futura sunt provenire, et ali-

« quando aliqua eorum quæ sunt circa laborantem « antequam interroget ab eo dicens ipse, et similiter « aliqua eorum quæ jam facta sunt [1]. » Ea vero præsumptio tantummodo ad usum pertinet. Empiricus enim, quia permultos ægrotantes vidit, et morborum signa eventusque notavit, et plura remedia expertus est, forsitan optime valetudinem quamdam curabit, « dearticulationes sanans melius aliis, et ea « quæ frequenter dearticulantur prohibens hoc « pati, et sanans fracturas et plagas et ulcera et dis- « positiones quas non poterant alii curare [2] ». At, si methodum æstimaveris, hoc Empiricis reprehendendum est quod falso censuerunt sensus, experientiam memoriamque ad constituendam scientiam satis esse [3]. Declarant expresse « opere oportere magis « quam ratione ostendere artem, fugiendo dialecti- « cam sine qua non est possibile petere sermones « conclusivos et syllogisticos [4] ». At non modo dialecticam vitaverunt et syllogismos, sed etiam eam inductionem quæ rerum causas constantes necessariasque requirens sola ad excellentem scientiam pervenire potest.

Præterea, apud Empiricorum doctrinam, dispositio

1. *Subfig. emp.*, c. XI, p. 63.
2. *Ibid.*
3. Cf. *Ibid.*, c. XII.
4. *Ibid.*, c. XI, p. 62.

parum certa et propria est. Tres equidem in medicina discreverunt partes, « quæ sunt diagnostica, « prognostica et curativa [1] ». Sed quo ordine collocandæ sint, quo tractu disponenda sint theoremata nusquam indicavisse videntur, si modo paucis libris creditur qui de eorum doctrina aliquid nobis tradiderunt. Atqui scientia non solum universa, sed etiam ad certum ordinem redacta esse debet, quo naturæ certum ordinem exprimat. Confuse vero videntur sese habere Empirici. Quanquam apud eos unaquæque observatio non fortuita est nec incomposita, sed ex consulto tentata certisque condicionibus subjecta, series tamen observationum fortuita et incomposita est. Experimentum enim quodque non ad aliud experimentum ducit per gradus, ita ut superiora paulatim repetantur, sed singulare et ab aliis secretum manet. Utilissima quidem præcepta ediderunt Empirici ; at, ut ait Baglivi, « his omnibus ars « nostra illustratur, non efficitur [2] ».

Quod proprie artem efficit, id est necessaria theorematum connexio, necessarii naturæ ordinis imago, a methodo Empiricorum abesse videtur. Immutabilis enim rerum in natura consensus non sensibus, sed animo apparet. Primo autem adspectu nihil natura ante oculos objicit nisi confusionem inexpli-

1. *Subfig. emp.*, c. VI, tit.
2. Baglivi, *Prax. med.*, l. I, c. I, p. 10.

cabilem in qua res omnes promiscue inter sese commixtæ et implicatæ sunt. Sola ratio ex ista colluvione rem quamque educit, et suum cuique locum attribuit. At ratio ab Empiricis e methodo quasi expulsa est. Vanas cogitationes subtiliaque argumenta quibus sæpius indulgent Dogmatici prohibent, et quidem optimo jure; sed nimia erga rationem suspicione omnino inductiones hypothesesque submovent, quibus prætermissis nihil de arte universum sperari potest, et in humiliore loco consistunt. « Non solum, ait Baco, copia major experi- « mentorum quærenda, sed etiam methodus plane « alia et ordo, et processus continuandæ et prove- « hendæ experientiæ introducenda. Vaga enim expe- « rientia et se tantum sequens mera palpatio est, « et homines potius stupefacit quam informat [1]. »

Id igitur merito Empiricis exprobratur artem apud eos nec universam nec ordinatam fuisse. Cæterum, ea ipsa præsens utilitas quam ante omnia sese appetere declarabant eos arcebat a vera via per quam scientia absoluta consummataque efficitur. Nulla enim potest esse scientia nisi gratuita, ac nisi sibi proposuerit non ut protinus prosit, sed ut veritatem vel longius remotam requirat. « Experimentis « autem luciferis » quæ commendat Baco [2]. « experi-

1. Bac., *Nov. org.*, l. I, c. C. — Cf. Cl. Bernard, *op. cit.*, p. 60.
2. Id., *Ibid.*, l. I, c. LXX.

« menta fructifera » anteposuerunt Empirici. Itaque, quanquam bene de medicina meruerunt, maxima gratia eis referenda est non quidem quia ipsi aliquid egregium invenerunt, sed quia artem ad rerum studium, et quasi, ut olim Hippocrates, a cœlo in terram reduxerunt.

Modum tamen excesserunt, et nimia timiditate erraverunt, ut nimia confidentia Dogmatici, isti dico qui modestam Hippocratis verecundiam obliti observationemque contemnentes, omnem operam ad dialecticam intendebant. Tot medicorum sectæ ortæ erant quot philosophorum disciplinæ, atque alia secta alium philosophum secuta rerum causas procul a rebus esse credebat. Prudentior quidem Hippocrates optime docuerat causas nihil aliud esse nisi constantes et necessarias rerum colligationes : « Δεῖ δὲ δήπου ταῦτα αἴτια ἑκάστου ἡγέεσθαι ὧν « παρεόντων μὲν τοιοῦτον τρόπον ἀνάγκη γίνεσθαι, « μεταβαλλόντων δὲ ἐς ἄλλην χρῆσιν παύεσθαι [1]. » Quæ vero definitio simplicior erat quam ut ambitiosæ Dogmaticorum, Methodicorum et Pneumaticorum petulantiæ placere posset. Itaque alii Aristotelis et Platonis, alii Epicuri, alii Stoicorum sectatores facti, philosophos sibi duces usurpaverunt eosque imitati sunt occultas rerum causas et abdita

1. Hippocr., *De prisc. med.*, c. XIX, p. 616.

naturæ principia contemplatos. Infinita diversitate inde orta, nihil jam certum aut stabile permanebat, scientiaque temere labefactata in discrimine videbatur, nisi Empirici res in contrariam partem reduxissent. At, semper metuentes ne de via decederent si nimiam fidem rationi tribuerint, scientiam ipsam imminuerunt, causarum inquisitionem tollentes, qua quidem sublata nihil universum reperiri potest. Quod vitium a Galeno notatum est, qui, modum in ea re tenens inter Dogmaticorum Empiricorumque errorem, tam recte quid sit causa descripsit ut ne nostris quidem temporibus subtilior quædam definitio edita sit : « Οὐ τῇ συνυπάρξει τοίνυν κριτέον τὴν « ἀκολουθίαν, ἀλλ' οὗ ἀνασκευαζομένου, ἐξ ἀνάγκης « τι συνανασκευάζεται, καὶ τιτεμένου τίθεται, ἐκείνῳ « ἐκεῖνο ἀκόλουθον ἡγητέον εἶναι [1]. »

Quanquam profecto Galeno ipsi vanæ dialecticæ cavillationes sæpenumero nimium placuerunt, attamen hanc definitionem egregiis exemplis illustravit, rei cujusdam causam ex alia re gradatim repetens, observationes ratione interpretatus, et mirando mentis acumine in illa disquisitione præditus [2]. Experimenta ab eo tentata sunt quibus nihil magis eximium ætas nostra proferre potest [3]. Id autem

1. *De opt. sect.*, c. VI, init.
2. Cf., *De loc. aff.*, l. I, c. VI. — *De fac. nat.*, l. I, c. XIII, etc.
3. Cf. Haller, *Bibl. anat.*, l. I, part. 59, p. 83.

non prætermittendum est, et maximæ Empiricis laudi esse debet, quod, licet ab ipsis nihil præstans experiendo repertum sit, veram medicinæ viam indicaverunt ipsi Galeno ejusque successoribus, et illius methodi præcepta tradiderunt per quam posteri, Empiricorum nomen sæpius despicientes, tot et tanta medicæ arti incrementa attulerunt.

Vidi ac perlegi :

Lugduni, a. d. VII Id. Dec.
ann. MDCCCCII.

Facultatis Litterarum in Universitate
Lugdunensi Decanus,

L. CLÉDAT.

Typis Mandetur

Academiæ Lugdunensis Rector,

G. COMPAYRÉ.

CONSPECTUS RERUM

PARS PRIOR

PARS ALTERA

MATISCONE, EX TYPIS PROTAT FRATRUM

MATISCONE, EX TYPIS PROTAT FRATRUM